

Perrenonius. Ulpian. ed. Vaniej. p. 22.

# DAVIDIS RUHNKENII



IN

# TERENTII COMOEDIAS

DICTATA

BRUNSIANO EXEMPLO EMENDATIUS MULTISQUE PARTIBUS INTEGRIUS EX APOGRAPHO HAMBURGENSI EDITA.

---

CURA

LUDOVICI SCHOPENI

PH. D. GYMN. REG. BONN. COLLEGAE.

---

BONNAE

IMPENSIS ED. WEBERI

LUGDUNI BATAVORUM

APUD S. ET I. LUCHTMANS

MDCCCXXV.

VIRO EXIMIO

AC SUMME REVERENDO

IOANNI GURLITTO

OB PATROCINIUM

RUHNKENIANI HUIUS OPUSCULI

LIBERALITER SUSCEPTUM

SACRUM ESSE VOLUIT

EDITOR.

Ante hos aliquot annos rei litterariae causa publice optaveram, ut Ruhnkeniana haec in Terentium Dictata, quae Brunsii primum opera prodisse constat, ad melioris apographi fidem, quam posset integerrime edita legerentur. Cuius desiderii exspectationi cum tantum non desperarem, unquam fore ut iusta, et quae maximo in his litteris nomine haud indigna videretur, libelli editione satis fieret, necopinanti mihi, sed quo nihil exoptatius esse poterat, eius rei adornandae munus obvenit. Fuit enim haec praeceptoris mei, Caroli Frid. Heinrichii, singularis erga me gratia, ut cum Hamburgi quondam apud Ioannem Gurlittum V. C. Dictatorum exemplar, eo, quo Brunsius usus est, longe praestantius, auspicato invenisset, id a viro optimo, cuius humanitatem litterasque adiuvandi studium bene nosset, ultro sibi meum in usum conciliaret. Nactus igitur apographum, quod quale ad novam, quam expetii, editionem esset praesidium, ex specimine

eius, non ita pridem a Gurlitto proposito, cognoram, nihil quidquam habui antiquius, quam ut Brunsianum exemplum ad huius fidem religiosissime omnino exigerem. Et quam praeclare mihi, non describendi tantum munere defungenti, operae fructus constiterit, locis prope innumeris, quos a foeda mendorum labe ad integritatis suae nitorem revocavi, ambitiosius hic recensendis cuivis possem, si tanti esset, ostendere; sed, ne viri existimationi, optimis artibus partae, minus consuluisse videar, aliorum id esto iudicium, siqui meam hanc editionem cum altera comparare velint. Illud certe si effecero, ut, quam in reliquis Ruhnkenii scriptis singularem admiramur humanitatis elegantiaeque venustatem, eandem huic mea qualicunque cura viri intelligentes feliciter reconciliatam agnoscant, satis uberes molestiarum, quibus in emendando eo conflictabar, fructus consecutum me esse existimabo. Scrib. Bonnae ipsis Cal. Nov. 1824.

---

# DAVIDIS RUHNKENII

# IN TERENTII COMOEDIAS

# DICTATA.

# IN ANDRIAE

## DIDASCALIAM.

Über d. Didasc. cf. Becker de Roman. censura scenica. Mainz 1852.

Fabula inscribitur *Andria.* Andriae nomen huic comoediae inditum est a puella Glycerio, cuius in hac fabula praecipuae partes sunt. Ea patriam habebat Andrum, unam insularum Cycladum. Steph. Byz. v. Ἄνδρος.

*Acta.* *Agere* comoediam proprie dicuntur histriones, qui eam in scena exhibent, qui inde etiam *actores* vocantur. Heaut. prol. v. 5. *hodie sum acturus Heautontimorumenon.* Drakenb. ad Liv. Epit. 46.

*Ludis Megalensibus.* Hi ludi instituebantur in honorem Cybeles, quae graece μεγάλη μήτηρ, latine Dea Magna vocabatur. Ovid. Fast. IV. 194. A voce μεγάλη formatum est *Megalensia* vel *Megalesia,* ut promiscue scribi docet Duker. ad Liv. XXXIV. 54. 3. Semper autem Latini dicunt *ludi Megalensia,* ut ludi Olympia, ludi Pythia, ludi Cerealia, nunquam vel rarissime *ludi Megalenses.* Vid. Quinctil. Inst. I. 5. p. 32. Gesn.

*Aedilibus curulibus.* Ad Aedilium curam etiam ludi solennes pertinebant; scenici ludi si edendi essent, Aediles fabulas emebant a poetis. Vid. Eun. prol. v. 20. In huius et sequentium fabularum didascaliis bini Aediles ludos edidisse dicuntur; Caesar et separatim et cum collega edidit, ut auctor est Suetonius in eius vita c. 10.

*Egerunt L. Ambivius Turpio, L. Atilius Praenestinus.* Hi gregis scenici magistri erant. Atilius, nicht atilius. cf. Beck. l.c.

*Modos fecit* i. e. leges musicas praescripsit, quas tibicen in cantando, actor in agendo observaret; quae quales fuerint,

explicat illustris Bentleius in Schediasm. de Metr. Terent. *Modi* proprie dicuntur in musicis. Cic. de Orat. III. 26. *Neque id actores prius viderunt, quam ipsi poetae, quam denique illi etiam, qui fecerunt modos.* Idem Tusc. Disp. I. 44. *Pressi et flebiles modi.*

*Tibiis paribus dextris et sinistris.* De his tibiis multi multa scripserunt. Scaliger, cuius notam prodidit Cl. Burmannus Antholog. Lat. Tom. I. p. 182., fatetur se nihil incertius legisse, quam quae de his tibiis tradantur.

*Est tota Graeca.* Ita est: quamvis fabula scripta sit latine, tamen expressit mores Graecorum, et inde Terentii et Plauti fabulae fere omnes dicuntur *palliatae*, quum Graeci a Romanis dicantur homines palliati.

## PROLOG.

1. *Animum ad scribendum adpulit* h. e. scribendi consilium cepit. Andr. II. 6. 15. *animum ad uxorem adpulit.* Alibi dicit *animum ad aliquid adiungere, adplicare, adiicere, adducere.*

2. *Id sibi negoti dari* i. e. hoc solum sibi curandum credidit, vel, ut Sueton. in Caes. c. 23. loquitur, in magno negotio habuit.

3. *Placere* proprium verbum est scenae et ludorum, quum populus favet plauditque. Cic. Brut. c. 84. *At placere tamen et in scena esse Roscium intelligat.* Horat. Carm. IV. 3. 24. *Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.* Sueton. in Neron. c. 42. *Cuidam scenico placenti nuntium misit.* Sic saepe in inscriptionibus antiquis: *cantavit, saltavit et placuit.* Vid. Victorium Var. Lect. XXXVII. 8.

Ibid. *Fabulas* Terentius graeco more posuit pro fabulae. Mox v. 26. *Posthac quas faciet de integro comoedias.* Eun. IV. 3. 11. *Eunuchum quem dedisti nobis, quantas dedit turbas.* Ovid. Met. XIV. 350. *Cecidere manu, quas legerat herbas.* Vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. II. 9. not. 1. p. 202. et Bentleius ad Heaut. IV. 4. 1.

5. *Operam abutitur* i. e. operam impendit et consumit. *Abuti* saepe etiam in bonam partem dicitur, ita tamen, ut

plus sit quam *uti*. Vid. I. F. Gronovius in Cic. ad Divers. IX. 6. et Davis. ad Cic. de N. D. II. 60. Verba autem *uti*, *abuti*, *frui* et similia cum accusativo iunguntur apud antiquos. Sanct. Minerv. III. 3. p. 294.

6. *Qui*. Bene Donatus *qui* pro ut accipit. Liv. XXVI. 17. *Mittit ad Neronem, qui in posterum diem colloquium differret.* Vid. Interpretes ad Liv. I. 43. 9.

7. *Vetus* hic in vituperationem ponitur de poeta veternoso, in quo vis ingenii defecerat. Donat. ad Eun. IV. 4. 21. Poeta, qui perstringitur, est Luscius Lanuvinus.

8. *Vitio dent* i. e. culpent, vituperent. Adelph. III. 3. 64. *Hoc vitio datur.* Sic etiam dicitur *crimini dare* pro tanquam crimen obiicere. Liv. VII. 4. *Criminique ei tribunus inter cetera dabat*, ubi vid. Interpretes.

Ibid. *Animum advortite* dicitur pro animadvertite, quae contracta forma frequentior est. Eun. III. 1. 7. *Advorti hercle animum.* Rutil. Lup. II. p. 77. *Diversa studia adolescentium animum adverteramus*, ubi vid. quae notavimus. Interdum omissa voce *animum* eodem sensu dicitur *advertere*. Liv. XLIV. 46. *Quam non sine causa delectam esse regiam advertit.* Drakenb. ad VI. 2. 10.

11. *Non ita dissimili.* *Ita* tanquam augendi particula ponitur pro valde, admodum. Nepos in Pelop. c. 2. *Magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae.* Liv. IV. 12. 9. *Haud ita multum frumenti advectum est*, ubi vid. Drakenborchius. Praeterea in his verbis *quidem* per ellipsin omittitur, cui respondet *sed tamen*. Liv. VII. 30. 17. *Non loquor apud recusantem iusta bella populum, sed tamen*, ubi vid. Interpretes.

12. *Oratione ac stilo.* Donatus orationem in sensu, stilum in verbis esse putat. Graeci orationem διάνοιαν vocant, stilum λέξιν. Sed Cl. Heusingerus ad Nepotis fragmenta, Mallio Theodoro de Metris subiecta, p. 150. orationem accipit de scribendi facultate ac forma. Ut hic *oratio* et *stilus*, sic in Phorm. prol. v. 5. iunguntur *oratio* et *scriptura*.

13. *Quae convenere* i. e. quae commoda, quae apta fuerunt. Andr. IV. 2. 13. *Hanc mihi expetivi; contigit; conveniunt*

*mores; valeant.* Ovid. Ep. V. 77. *Nunc tibi conveniunt*, ubi vid. Heinsium.

15. *Isti.* Hoc pronomine fere odium et contemtus exprimitur; mox v. 21. *Istorum obscuram diligentiam.* Eun. I. 2. 112. *Cum milite isto praesens absens ut sies.* Apud Ovid. Met. XIII. Aiax, quoties de Ulysse loquitur, *iste* subiungit. Vid. Bentlei. ad Adelph. I. 1. 18. Contra *ille* plerumque in laudem dicitur. Drakenb. ad Sil. Ital. III. v. 181.

Ibid. *Disputant* i. e. de ea re sermonem serunt, de ea re multum loquuntur. Cic. ad Div. III. 8. *Iam non tam mihi videntur iniuriam facere, si qui haec disputant, quam si cuius aures ad hanc disputationem patent. Disputare* apud veteres non est contendere verbis cum aliquo, ut nunc in ore est omnium, sed disserere sine ulla contentione, sive sermonem habere de aliqua re. Vid. Graevium ad Cic. de Off. III. 3. Rarior est structura *disputare in aliqua re*, usitatior *disputare rem, de re* vel *ad rem*, ut est apud Cic. Tusc. Disp. III. 9. et Lactant. VI. 22.

16. *Contaminari.* Hoc verbum vulgo inepte ducunt a graeco *τέμνω*, quum derivandum sit ab antiquo *tago*, pro quo posterior aetas dixit *tango*, ut pro *clago clango, frago frango, pago pango, plago plango.* A *tago* analogice formatur *tagimen*, contracte *tamen*, unde verbum *tamino; contamino* igitur primaria et nativa significatione dicitur pro tango, contrecto, misceo; sed quia miscendo saepe aliquid corrumpitur et polluitur, etiam corrumpendi et foedandi potestatem accepit. *Contaminari* fabulae dicuntur, quum sic commiscentur, ut ex pluribus fiat una. Heaut. prol. v. 17. *Multas contaminasse Graecas, dum facit paucas Latinas.* Hoc verbum explicat Burmann. ad Phaedr. III. 11. 5. sed accuratius et distinctius I. M. Gesner. in Comment. Acad. Gotting. Tom. III. p. 252.

17. *Faciunt nae intellegendo ut nihil intellegant*, h. e. profecto, dum valde intelligentes et sapientes videri volunt, ostendunt se nihil intelligere. Sed veteres quidam Grammatici apud Donatum et magnus Bentleius *nae* sine diphthongo scribunt et locum cum interrogatione proferunt; quae interrogatio habet

vim vehementer negandi; atque haec ratio praeferenda videtur. Ceterum Terentius hoc ὀξύμωρον expressit ex Menandro, in cuius fragm. p. 236. est μάταιός ἐστι καὶ φρονῶν οὐδὲν φρονεῖ. Simile illud in Eun. I. 1. 18. *Ut cum ratione insanias.* Vid. Bernard. Martinum Var. Lect. III. 10. p. 150.

19. *Auctores* sunt, qui exemplum rei faciundae dant, qui aliquid facere praecipuunt exemplo suo. Cic. Acad. II. 2. *Nec litterarum Graecarum, nec philosophiae iam ullum auctorem requiro*, sc. quum Africanum et Catonem habeam, qui didicerunt. Horat. Serm. I. 4. 122. *Habes auctorem, quo facias hoc.* Paullum diverso sensu Liv. XXII. 7. *Fabium huiusce belli potissimum auctorem habui.* Vid. Interpretes ad Liv. II. 56. 6.

20. *Exoptat* propria significatione dicitur pro eligit. Cic. de Off. I. 32. *Quae maiori parti pulcerrima videntur, ea maxime exoptant.* Vid. Servium ad Aeneid. I. 76. et Donatum ad Andr. IV. 5. 2.

Ibid. *Negligere* et *negligentia* non semper sunt vitiosa, sed de iis etiam dicuntur, quae scienter et consulto praetermittimus. Adelph. prol. 14. *An locum reprehensum, qui praeteritus negligentia est.*

22. *Quiescant* i. e. nullas turbas moveant. Liv. IV. 49. *Malum quidem militibus meis, nisi quieverint.* Ita *inquietus* est seditiosus. Liv. III. 46. *Inquietum hominem.* Vid. Interpretes ad Liv. XLV. 37. 2.

Ibid. *Moneo.* Hoc verbum comminandi vim habere Donatus observat ad Eun. prol. v. 16. *Is ne erret moneo et desinat lacessere.*

24. *Favete.* Benevolentiae in sacris signum erat silentium. Inde veteres *favere* pro silere dixerunt. Senec. de Vit. Beat. c. 26. Festus v. *favere.* Par ratio est graeci verbi εὐφημεῖν. De formulis, animo, mente, ore, linguis favere, vide Interpretes ad Sil. Ital. XVI. v. 295.

Ibid. *Aequo animo* i. e. a quo absit studium partium. Phorm. prol. v. 30. *Date operam, adeste aequo animo per silentium.*

Ibid. *Rem cognoscite, tanquam iudices.* Nam iudex, qui litem examinat, proprie dicitur *rem cognoscere.* Iustin. II. 10. *Certamen concordi animo ad Artaphernem veluti ad domesticum iudicem deferunt, qui domi cognita causa Xerxem praeposuit.*

26. *De integro* i. e. denuo, pro quo apud Suetonium Aug. c. 31. est *ex integro.* Barbare et inquinate loquentes *de novo* dicere solent.

27. *Exigi* fabula proprie dicitur, quum repudiatur, improbatur, quum spectatores strepitu pedum significant, eam sibi displicere; unde etiam proprium hac in re verbum est *explodere.* Hec. prol. alt. v. 4. *Novas qui exactas feci, ut inveterascerent.* Ipse actor etiam *exigi* dicitur in eodem prologo v. 7.

Ibid. *Prius.* Dura est ratio Perizonii ad Sanct. Min. IV. 11. p. 722. *prius* ad *pernoscatis* per synchysin referentis. *Prius* h. l. significat *potius, magis*, ut in nota formula, *nihil prius et antiquius habere.* Eun. I. 1. 5. *Si quidem hercle possis, nihil prius neque fortius.* Vid. Graevium et Dukerum ad Flor. I. 16. p. 132. et seq. ed. 1744.

## ACT. I. SC. I.

1. *Vos isthaec intro auferte* i. e. vos isthaec hinc auferte et in domum meam adportate. Cic. pro Rosc. Amer. c. 8. *Multa palam domum suam auferebat.* Vid. Pearc. ad Cic. de Orat. II. 66. Intelligenda vero esse obsonia vel olera, planum est ex verbo *curare* v. 3., quod proprium esse culinae Donatus observat. Plaut. Pers. I. 3. 5. *Curate istic vos atque adproperate ocius.* Idem Merc. III. 3. 21. *Quin ergo imus atque obsonium curamus.*

2. *Paucis te volo.* Plena oratio est, *paucis verbis te adloqui volo.*

Ibid. *Dictum puta* h. e. intelligo quid velis, licet iam nihil dicas; atque adeo puta te dixisse. Similiter Ovid. Met. IV. 476. *Facta puta, quaecunque iubes.*

3. *Immo* adversandi et corrigendi vim habet. Eun. III. 5. 60. *Immo apud libertum Discum.*

4. *Ars* hic dicitur scientia coquendi;* sed late patet hoc nomen, et in utramque partem significat omnem dexteritatem et solertiam aptam ad aliquid perficiendum; itaque virtutes etiam artes dicuntur, ut apud Sallust. Cat. c. 2. *Imperium facile his artibus retinetur, quibus initio partum est*, ubi vid. Cortium.

6. *In te intellexi sitas* h. e. intellexi in te esse. Adelph. III. 4. 9. *In te spes omnis nobis sita est.* Phorm. III. 1. 6. *Cuius nunc miserae spes opesque sunt in te uno omnes sitae.*

8. *A parvulo*, scil. a puero, h. e. a prima aetate. Adelph. I. 1. 23. *Eduxi a parvulo*, pro quo *a pueris* dicit Heaut. II. 1. 2. Si de uno sermo est *a parvulo* et *a puero* dicitur, si de pluribus, *a parvulis* et *a pueris*. Graeci similiter ἐκ παιδὸς et ἐκ παίδων. Veteres vero saepe *parvulos* dixerunt pro infantibus et puerulis. Graev. ad Flor. IV. 2. p. 715.

9. *Iusta servitus* i. e. tolerabilis, non dura. Cic. ad Div. I. 4. *Acerbum habuimus Curionem, Bibulum multo iustiorem.* Curt. IV. 10. *Tam iustus hostis, tam misericors victor.* Contra *iniustus* est durus, gravis. Virg. Ecl. III. 33. *Iniusta noverca.* Ovid. Met. IV. 670. *Iniustus iusserat Ammon.* Iustin. XI. 1. *Iniusta servitute oppressi.* Et sic *iniustitia* dicitur pro duritie. Heaut. I. 1. 82. Vid. Gronov. ad Quinctil. Decl. III. 16. p. 72.

10. *E servo* h. e. quum ante servus esses. Virg. Aen. X. 221. *Nymphasque e navibus esse.* Manil. IV. 46. *Ex exsule Consul.* Oudendorp. ad Lucan. IV. 719.

11. *Liberaliter* i. e. quasi liber et ingenuus esses; non, ut alii servi, metu ad officium compellebaris. *Liberale* dicitur, quicquid liberum hominem decet; unde *liberales* artes, quae homines ingenuos decent. Eun. III. 2. 20. *Facies liberalis.* Adelph. V. 5. 5. *Servum haud illiberalem praebes te.* Iam quia largitas maxime liberum hominem decet, *liberalis* etiam pro largo dici coepit.

12. *Pretium* i. e. praemium, mercedem. Liv. XXIV. 15. *Capita hostium pretia libertati facta.* Phaedr. I. 8. 1. *Qui pretium meriti ab improbis desiderat.* Iustin. 1. 7. *Caedes Candauli*

*nuptiarum pretium fuit.* Vid. Gronov. Observ. II. 25. et Heinsium ad Ovid. Ep. VI. 146.

13. *Haud muto factum* i. e. non poenitet facti, quod factum est, infectum esse nolim. Plaut. Bacch. V. 2. 34. *Ego quod dixi haud mutabo.* Brutus Ciceroni Epist. 4. *Illud non muto.* Horat. Art. Poet. v. 168. *Commisisse cavet quod mox mutare laboret.* Lambin. ad Horat. Ep. I. 2. 60. Bentleius interpungit: *Haud muto. Sos. Factum gaudeo; sed res eodem redit.* Obss. Misc. Vol. III. p. 390.

15. *Gratum fuisse advorsum te* rariore loquendi formula dicitur pro *gratum fuisse tibi.* Praepositio *contra* semper nocendi voluntatem ostendit, *adversus* interdum est sine contraria vel etiam cum bona voluntate, ut eleganter docet Manutius in Cic. ad Div. IX. 22. Hinc saepe dicitur *aequitas adversus aliquem, ius amicitiae adversus aliquem.* Vid. Drakenb. ad Liv. V. 35. 4. et XXIX. 8. 2.

17. *Immemoris beneficii.* Bentleius aliique verissime legunt *immemori benefici.* Non enim beneficium immemor est, quod absurdum, sed homo ingratus immemor est beneficii. Casus, quem verbum *exprobare* regit, iungitur nomini verbali *exprobratio*, ut saepe apud veteres. Plaut. Amph. I. 3. 21. *Quid tibi hanc curatio est rem.* Caes. de B. G. I. 5. *Domum reditionis spe sublata.* Liv. XXIII. 35. *Ne qua exprobratio cuiquam veteris fortunae discordiam inter ordines sereret*, ubi vid. Gronov. Add. Cl. Oudendorp. ad Caes. de B. G. V. 48. Modo diximus etiam legendum *benefici*, non *beneficii.* Nam veteres in nominibus substantivis, quae in *ius* et *ium* exirent, semper genitivum *i* simplici efferebant. Id quum ex Nigidio Figulo apud Gell. XIII. 25. tum ex metri rationibus primus egregie demonstravit Bentleius ad Andr. II. 1. 20. Cuius rei mutatio demum facta est sub Augusti senescentis aetatem; itaque geminum *i* iam frequentavit Ovidius.

20. *Quas credis* i. e. quales credis. Eun. II. 2. 42. *Quid videtur hoc tibi mancipium.* Virg. Aen. IV. 47. *Quam tu urbem, soror, hanc cernes, quae surgere regna,* ubi vid. Servium.

22. *Consilium* i. e. animum vel propositum. Hec. III. 5. 44. *Non est consilium, pater.* Sallust. Cat. 4. *Non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere,* ubi vid. Cortium.

24. *Nam* eleganter inservit transitioni et connectendae orationi. Exempla sunt apud Manutium in Cic. ad Div. III. 11. V. 20. Gronov. ad Liv. XXIX. 8. 9. et Duker. ad Flori prooem. 2. p. 4.

Ibid. *Excessit ex ephebis* i. e. excessit annum vicesimum. Hoc autem intelligendum est ex moribus Atheniensium, apud quos ephebi erant adolescentes octodecim annorum, qui referebantur inter circuitores, vel eos, qui regionem Atticam armati circumirent; ubi biennium inter circuitores fuissent, excedebant ex ephebis et extra Atticam militabant. Rem accurate explicat Pollux VIII. 105.

25. *Libere vivere* dicitur, qui parum continenter et modeste vivit, in licentiam prolabitur; sed comparativus h. l. significationem minuit, ut *liberius vivere* sit paullo maiore libertate in vita agenda uti, quam ante solitus esses. Ovid. Fast. III. 778. de omnibus adolescentibus, qui togam virilem sumsissent, *sumitur et vitae liberioris iter.* De ea vi comparativi vid. Vossius de Anal. II. 23. p. 252.

27. *Prohibere* est verbum disciplinae, qua adolescentes in officio continentur. Vid. Burmann. ad Calpurn. Ecl. IV. 20. *Magister* est praefectus epheborum, apud quem exercebantur et severa disciplina continebantur.

28. *Plerique omnes* i. e. fere omnes, maior pars. Haec vocabula saepe iunguntur. Phorm. I. 3. 20. *Plerique ingenio sumus omnes.* Caes. de B. G. II. 30. *Plerisque omnibus Gallis brevitas nostra contemtui est,* ubi vid. Interpretes. Sic apud Hirt. de B. Afr. c. 63. iunguntur *omnes reliqui alii.* Apud Graecos frequens est πλείονες πάντες. Vid. Bosii Ind. Nepot. v. *plerique.*

29. *Studium* dicitur, in quo quis versatur et quo delectatur. Hec. IV. 2. 18. *Satias iam tenet studiorum istorum.* Cic. pro Coel. c. 19. *Relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, convivium.* De studiis adolescentium Atticorum vid. Lindenb. ad h. l. et Sam. Petitum ad Leg. Att. p. 239.

30. *Alere.* Infinitivus *alere* pendet a voce *studium* et graeco more ponitur pro gerundio alendi. Verba *aut ad philosophos* pendent a verbis *animum adiungant.*

Ibid. *Canes ad venandum* i. e. canes venaticos. Praepositio *ad* saepe significat ministerium. Propert. IV. 9. 9. *Lygdamus ad cyathos* i. e. pincerna. Virg. Aen. X. 253. *Ad frena leones.* Liv. XXII. 19. *Miles ad naves* i. e. miles classiarius, ubi vid. Gronov. Idem XXXIV. 6. 13. *Servi ad remum* i. e. servi remiges, ubi vid. Duker. Add. Gronov. de Pec. Vet. I. 7. p. 35.

31. *Egregie* i. e. vehementer, valde, ut I. 5. 39. *Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim.*

Ibid. *Praeter cetera* i. e. prae ceteris, plus quam cetera. In hac Scena v. 93. *Forma praeter ceteras honesta.* Plaut. Amph. II. 2. 10. *Quem ego amo praeter omnes.* Iustin. XXI. 6. *Vir solertia facundiaque praeter ceteros insignis.*

32. *Studebat* i. e. operam dabat. *Studere* cum accusativo etiam construitur. Hec. II. 2. 20. Cic. Philipp. VI. 7. *Unum sentitis omnes, unum studetis.*

33. *Non iniuria* i. e. non sine ratione, merito. Eun. III. 1. 43. *Metuebant omnes iam me; non iniuria.*

34. *Ne quid nimis.* Expressit graec. μηδὲν ἄγαν, quod dictum ab aliquo sapiente prolatum, deinde proverbii vim accepit, indicatque modum in omnibus rebus tenendum esse. Vid. Erasmi Adag. tit. *modestia.*

35. *Perferre ac pati.* Saepe etiam a Cicerone et aliis iunguntur *perfero* et *patior*, *patior* et *fero*, *perpetior* et *perfero*. Caes. de B. G. VII. 30. *Ut omnia, quae imperarentur, sibi patienda et perferenda existimarent*, ubi vid. Oudendorp. Infinitivus ponitur pro imperfecto perferebat ac patiebatur, ut infra v. 70. Eun. III. 3. 9.

36. *Cum quibus erat cunque* per tmesin dicitur pro *cum quibuscunque erat.* I. 5. 28. *Quae meo cunque animo libitum est facere.*

Ibid. *Iis sese dedere* i. e. his obsequi, facere omnia, quae his grata sunt. Locutio ducta ab iis, qui se in hostium po-

testatem dedunt, et proprie *dedititii* dicuntur. Vid. Donatum ad h. l. Bentlei. ad Horat. Carm. III. 5. 33. Eun. V. 7. 2. *Ut Thaidi me dedam, et faciam quod iubeat.* Heaut. IV. 3. 3. *Dedo patri me nunc iam.* Q. Cicero de Petit. Cons. c. 9. *ei se dedunt, deserant ceteros.* Eodem sensu dicitur *se dare, se praebere alicui.* Schulting. ad Senec. Controv. I. p. 69.

39. *Invenire* elegantissime ponitur pro acquirere, consequi, adipisci, ut apud Graecos εὑρίσκειν. Heaut. IV. 7. 13. *Labore inventa mea cui dem bona.* Iustin. XII. 8. *Cum veniam ab hoste invenissent*, ubi vid. Graevius.

41. *Obsequium.* Quinctilianus VIII. 3. p. 375. eumque secutus Donatus dicunt, Ciceronem existimasse, primum a Terentio dictum esse nomen *obsequium;* sed aliter Ciceronem de Amic. 24., quem locum Quinctilianus respexit, intelligendum esse, res ipsa loquitur. Vid. Gesner. ad Quinctil. l. l.

42. *Mulier quaedam.* Dixit *quaedam*, ut contemtum significaret. Adelph. IV. 5. 13. *Habitant hic quaedam mulieres pauperculae.* Heins. ad Vell. Paterc. II. 64.

43. *Huc viciniae* eleganter dicitur pro in hanc viciniam. Phorm. I. 2. 45. *Modo quandam virginem vidi hic viciniae.* Vid. Bentlei. ad h. l.

44. *Cognatorum neglegentia.* Hoc intelligendum est ex legibus Atticis, quae proximos et ditissimos cognatos iubebant cognatam inopem vel ducere uxorem vel dotare, ut maritum inveniret. Adelph. IV. 5. 16—18. et Sam. Petitus de Leg. Att. p. 551.

45. *Integra aetas*, ut recte explicat Donatus, est in flore constituta, cui neque addendum quid sit, neque quicquam imminutum. Eun. III. 2. 20. *Quam liberali facie, quam aetate integra.* Suet. Calig. 25. *Caesonia neque facie insigni neque aetate integra* i. e. quae senescere iam incipiebat.

47. *Vitam duriter agebat* i. e. laboriosam vitam agebat. Adelph. I. 1. 20. *Parce ac duriter se habere.* Contra in eadem fabula III. 4. 56. *Quam vos facillime agitis* i. e. sine labore et in affluentia omnium rerum. *Vitam agere* est vivere. Vid. Adelph. I. 1. 20.

48. *Lana ac tela* i. e. lanificio ac textura. Apud veteres nobilissimae quoque mulieres lanam tractare, telam texere et et vestes conficere solebant. Vid. Casaub. ad Sueton. Aug. 64. et 73.

Ibid. *Quaeritans.* *Quaerere* et *quaeritare* habent significationem magni laboris et curae. Vid. Donat. ad h. l. Petronius c. 119. *Quaerebantur opes.* De tali muliere eleganter Virgilius Aen. VIII. 409. *Femina, cui tolerare colo vitam tenuique Minerva impositum.*

49. *Pretium,* mercedem stupri, ut Adelph. III. 2. 51.

50. *Unus et item alter.* Hanc locutionem de tribus intelligit Donatus, quod v. 60. trium amatorum fit mentio. Etiam Ioh. Schulting. ad Senec. Controv. II. p. 173. Donati auctoritatem secutus scribit *alter* de tribus dici posse. Sed Donatus haud dubie erravit. Nam postquam unus et alter amans accessit, advenerunt plures. *Unus et alter* vel duos significat, ut apud Ovid. Ep. XV. 182. *Et sub ea versus unus et alter erunt,* vel indefinite plures. Cic. ad Att. XIV. 18. *Adductus sum tuis et unis et alteris litteris;* et sic plerumque dicitur. Vid. Burmann: ad Petron. c. 108. et ad Ovid. Amor. II. 5. 22. Eleganter quoque iunguntur *et item.* Adelph. II. 2. 22. *Complures et item hinc alia.* Plaut. Casin. prol. 49. *Amat efflictim et item contra filius.*

52. *Conditio* in genere est pactio certam legem in se continens, ut bene explicat Donatus; hinc eleganter etiam dicitur de pactione sponsalium sive nuptiarum. Phorm. IV. 1. 13. *Nam hanc conditionem si cui tulero extraneo.* Sueton. Caes. c. 27. *Octaviam sororis suae neptem conditionem ei detulit;* quibus locis *conditio* capienda pro sponsa, ut alibi *matrimonium* pro uxore. Vid. Drakenb. ad Liv. III. 45. 11. Nec tantum de licita coniunctione dicitur, sed etiam de amore meretricio et furtivo, ut h. l. Cic. pro Coel. c. 15. *Hinc licet conditiones quotidie legas.* Sueton. Aug. c. 69. *Obiecit conditiones quaesitas per amicos.*

Ibid. *Quaestum occipit.* *Quaestus* per excellentiam dicitur lucrum, quod sibi meretrix quaerit corpore vulgando. Adelph. II. 1. 52. *Quando eum quaestum occeperis.* Inde me-

retrices *quaestuariae* vocantur in Leg. 4. §. 2. Dig. De his, qui notantur infamia. Vid. Lindenb. ad h. l. et Bynkershoek. Observ. Iur. Civ. I. 25. *Occipere* idem quod incipere est. Vid. Interpretes ad Liv. XXXI. 50. 6.

53. *Ita ut fit* i. e. ut mos et consuetudo est. Iustin. V. 1. *Ut fit, quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat.* Bentlei. ad Adelph. I. 1. 30. et Interpretes ad Petron. c. 49.

55. *Captus est; habet.* Pulcre vidit Donatus, formulam ab arena petitam esse. Nam quum gladiator retiarius mirmillonem reti involvisset, spectatores clamabant: *captus est!* quum irretito vulnus inflixisset: *habet!* sc. vulnus. Virg. Aen. XII. 296. *Hoc habet, haec melior magnis data victima divis.* Flor. III. 10. *Habes, fortem virum, vir fortissime, vicisti*, ubi vid. Graevium. Inde venuste dicitur de eo, qui captus et deceptus est, sive de quo actum est. Senec. Agam. v. 901. *Habet, peractum est, pendet exigua male caput amputatum parte.* Vid. Gronov. Obss. II. 25. et quos laudat Broukhus. ad Tibull. I. 5. 2.

58. *Habuit* verecunde dixit pro concubuit cum Chryside. Cic. ad Div. IX. 26. *Sed tamen Aristippus quidem non erubuit, cum esset obiectum, habere eum Laida* i. e. Laide ad arbitrium frui. Ovid. Amor. III. 12. 6. *Cum multis vereor ne sit habenda mihi*, ubi vid. Burmann.

59. *Teneo* i. e. scio, intelligo. III. 2. 18. *Teneo quid erret.*

61. *Symbola*, a graeco verbo *συμβάλλειν*, *conferre*, est pecunia, quae confertur ad coenam vel compotationem communi sumtu apparandam. *Collectam* vocat Cic. de Orat. II. 57. Sic *de symbolis esse* Eun. III. 4. 2. significat communi sumtu coenare. Plaut. Stich. III. 1. 28. *Eo condixi in symbolam ad coenam* h. e. promisi me coenae adfuturum pro portione mea in sumtu. Qui nihil confert et gratis coenat, *asymbolus* dicitur, ut Phorm. II. 2. 25. Cum *symbola* non confundi debet *symbolum* vel *symbolus* i. e. anulus sive quodvis aliud solitum dari ei, qui coenam parat. Casaub. ad Athen. III. 32. p. 224.

63. *Nihil quicquam.* Eleganter *quicquam* abundat. Hec. III. 3. 40. *Hic tibi nihil est quicquam incommodi.* Gell. I. 5

*Nihil esse quicquam commissum a me.* Sic voci *nemo* per pleonasmum additur *quisquam* vel *unus*. Vid. Drakenb. ad Liv. III. 12. 4.

64. *Enimverò* in initio orationis rem gravissime affirmat. Andr. I. 3. 1. *Enimvero nihil loci est segnitiae.* Liv. I. 51. *Enimvero manifesta res visa,* ubi vid. Drakenb.

Ibid. *Spectare* est experimentis cognoscere, perspicere. Andr. V. 1. 1. *Satis iam satis spectata erga te amicitia est mea.* Virg. Aen. VIII. 151. *Sunt animi, et rebus spectata iuventus,* ubi vid. Servius. Locutio translata est a metallis, praesertim auro et argento, quae igni cognoscuntur. Notissima illa Ovidii: *Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum, Tempore sic duro est experienda fides.* Vid. Lambin. ad Horat. Ep. I. 1. 2. et Graev. ad Flor. II. 7. 3. p. 331.

66. *Conflictatur* hic non tam ad pugnam refertur, quam ad frequentem consuetudinem hominum vitiosorum, contra quorum contagionem velut pugnandum est, si corrumpi nolis. Sic bene explicat Gesnerus in Thes. L. L. v. *conflicto.*

68. *Habere suae vitae modum* i. e. vitam suam moderari sive regere. Donatus *modum* bene explicat moderationem. Cic. pro Marcell. c. 1. *Tantum in summa potestate rerum omnium modum,* ubi vid. Graevius.

69. *Uno ore* idem est, quod in Hec. II. 1. 4. *uno animo.* Barbari dicunt *unanimiter.* Phorm. IV. 3. 20. *Uno ore auctores fuere.* Virg. Aen. XI. 132. *Unoque omnes eadem ore fremebant.* Sic *una mente et voce.* Cic. Philipp. I. 9. *Omnes iam cives de reipublicae salute una et mente et voce consentiunt.* *Unus* est *par* vel *idem.* Heins. ad Ovid. Met. X. 33.

Ibid. *Omnes omnia bona dicere.* Vir quidam doctus legere mavult *omnes omina bona dicere,* quam coniecturam merito repudiat Duker. ad Liv. XXIX. 10. 8. *Omnia bona dicere* est gratulari, felicem praedicare. Locutio ducta est a sacris, in quibus omnes mali ominis vitandi causa bona verba dicebant. Ceterum hanc usitatam esse formulam laudandi bonae indolis adolescentem docet Donatus ad h. l. Ovid. Met. IV. 322. *Qui te genuere beati, Et frater felix et fortunata profecto Si qua tibi*

*soror est et quae dedit ubera nutrix.* Petron. c. 94. *O felicem matrem tuam, quae te talem peperit*, ubi vid. Interpretes.

70. *Fortunae* hic non de divitiis, sed de sorte et conditione dicuntur. Vid. Donatum ad h. l. Infra III. 5. 3. *servone fortunas meas me commisisse futili.* Heaut. III. 1. 54. *me tuarum miseritum est fortunarum.* Ceterum notanda est huius loci constructio; nam licet *fortunas* praecedat, tamen pronomen *qui* ponitur, ac si praecessisset *fortunatum me.* Ovid. ex Pont. III. 4. 91. *Nec mea verba legis, qui sum submotus ad Istrum.* Burmann. ad Quinctil. Decl. IX. p. 191.

72. *Quid verbis opus est?* Hac formula veteres utuntur quum, quod ante dixerunt, exemplo probant. Eun. III. 5. 20. Phorm. I. 2. 50.

73. *Ultro ad me venit.* Pulcre Servius ad Virg. Aen. VII. 268. docet antiquis morem fuisse, sibi generos, quos spectati mores commendarent, legere; nam in tanta divortiorum frequentia sperabant eos firmiores maritos fore. Infra III. 3. 39. et Heaut. V. 1. 63.

75. *Dicere diem* est diem certum statuere, constituere. Eun. III. 4. 3. *Locus, tempus constitutum est; praeteriit tempus: quo in loco dictum est, parati nihil est.* Caes. B. G. V. 37. *iis certum diem conveniendi dicit.* Liv. XXXV. 3. *die, quem dixerat ad conveniendum militibus, venit*, ubi vid. Gronov. et Drakenb.

77. *In diebus paucis, quibus haec acta sunt* i. e. post paucos dies, quibus haec acta sunt. Sueton. Tib. c. 60. *In paucis diebus, quam Capreas attigit.* Idem Ner. c. 3. *In diebus paucis obiit.* Plerumque omittitur praepositio. Giphan. Ind. Lucret. v. *in.*

78. *Factum bene.* Hac formula veteres in rebus laetis utebantur. Infra V. 6. 5. Contra *male factum* dicebant in rebus adversis. Phorm. V. 1. 24. Catull. III. 16. *O factum male, o miselle passer.*

79. *Beare aliquem* apud Comicos significat alicui grata sive facere sive dicere. Eun. II. 2. 48. *ecquid beo te.* Plaut. Asin. II. 2. 66.

Ibid. *Metui a Chryside* pro metui Chrysidem; eadem constructione Liv. XXIII. 36. *ab Hannibale metuens*, ubi vid. Drakenborchius.

Ibid. *Ibi* significat tum. Infra II. 3. 5. *ibi culpam in te transferet*. Liv. II. 35. *ibi ira est suppressa*, ubi vid. Duker. Sed hic per pleonasmum *ibi tum* coniunguntur. Infra v. 104. *ibi tum exanimatus Pamphilus*. Sic saepe iunguntur eiusdem potestatis particulae, ut *iam nunc* apud Liv. XXXI. 32. 3. ubi vid. Drakenb. *itaque ergo* apud eundem III. 31. 5. ubi vid. Gronovius. *ita sic* apud eundem II. 10. 11.

80. *Frequens* pro frequenter, adiectivum pro adverbio. Liv. I. 50. *Conveniunt frequentes prima luce* ubi vid. Interpretes.

81. *Curabat funus*. Ut Graec. κομίζειν sic etiam lat. *curare* eximie dicitur in re funebri. Ovid. Fast. V. 657. *Displicet haeredi mandati cura sepulcri.* Curt. X. 10. *iussi corpus Alexandri suo more curare.* Ernestius ad Tacit. Hist. V. 5. *Funus* est pompa funebris et quicquid ad exsequias pertinet. Manil. I. 886. *Cesserat officium morbis et funera deerant Mortibus.* Vid. Interpretes ad Sil. Ital. I. 154.

84. *Mortem fert familiariter* i. e. quasi familiaris esset. Infra v. 109. *reiecit se in eum flens quam familiariter.*

87. *Quid multis moror?* Plena locutio est, *quid multis verbis te moror?* qua forma utebantur, ut orationem compendii facerent.

89. *Etiam* rariorem apud Terentium vim habet pro etiamnunc, adhuc. Infra III. 2. 23. *Non satis pernosti me etiam.* Hec. IV. 3. 8. *De uxore incertus sum etiam.* Virg. Aen. IV. 485. *etiam currus, etiam arma tenentem*, ubi vid. Servius.

90. *Effertur* scil. ex aedibus ad rogum. *Efferri* proprie dicuntur mortuorum cadavera; vid. Donat. ad h. l. Nep. Att. c. 17. *Matrem extulit annorum nonaginta.* Hor. Serm. II. 5. 84. *anus improba Thebis Ex testamento sic est elata*, ubi vid. Lambinus. Petron. c. 111. *Haec cum virum extulisset*, ubi plura Interpretes.

Ibid. *Imus*. Hoc quoque funebre verbum est, pro quo frequentius dicitur *exsequias ire* ut Phorm. V. 9. 37. Vid. Kirchmann. de Funeribus II. 10.

Ibid. *Inter mulieres.* Atheniensium moribus mulieres iuvenes propinquorum funus prosequebantur; extrariorum funus non licebat comitari nisi mulieribus sexagenariis. Vid. Solonis legem apud Demosth. adv. Macartat. p. 608. Wolf. In hac igitur re Terentius Atheniensium mores observavit, non item in eo, quod dicit Simonem secutum esse funus. Nam ex eadem Solonis lege viri ante funus ibant, mulieres funus sequebantur. Taylor. Lect. Lysiac. c. I. p. 677.

91. *Unam* i. e. quandam, aliquam. Cic. de Orat. I. 29. *Sicut unus paterfamilias his de rebus loquor.* Caes. B. G. V. 45. *erat unus intus Nervius*, ubi vid. Interpretes; add. Burmann. ad Ovid. Ep. XV. 162. Aliquando *unus* ad excellentiam refertur, imprimis iunctum superlativo, ut apud Virg. Aen. II. 426. *iustissimus unus Qui fuit in Teucris et servantissimus aequi.* Vid. Bentleium ad Horat. A. P. v. 32. Sed altera notio hic praeferenda videtur.

92. *Forma* ad totum corpus pertinet, *vultus* ad faciem.

93. *Ut nihil supra* scil. addi vel esse queat. Eun. III. 1. 37. *facete, lepide, laute, nihil supra.* Adelph. II. 3. 11. *nihil supra pote*, ubi vid. Donatus.

96. *Honesta forma* i. e. pulcra, venusta. Eun. III. 2. 21. *ita me Di ament, honestus.* *Honesto* in ead. fab. II. 3. 66. opponitur *inhonestus* i. e. deformis. Virg. Georg. II. 392. *Deus caput circumegit honestum.* Sueton. Tib. c. 68. *facie honesta.* Sic *honor* pro pulcritudine Virg. Aen. I. 591. *et laetos oculis afflarat honores.* Petron. Fragm. p. 668. Burm. *totus tibi servit honor formaque Dearum Fulges.*

Ibid. *Pedisequas.* Vulgo male scribitur sibilanti littera duplicata *pedissequas*; in antiquis monumentis semper scribitur *pedisequus*, ut apud Gruterum p. DC. 8. et MCXII. 10. Accedit auctoritas poetarum, qui antepenultimam corripiunt. Phaedr. IV. 4. 36. et ibi Burmann. Mulieres autem Graecae cum magno ancillarum comitatu in publicum prodibant. Vid. Rutil. Lup. II. p. 74., et quae ibi notavimus.

98. *Percussit animum* h. e. commovit, suspicionem iniecit. Cic. ad Att. IV. 8. *audivi Romae esse hominem; percussit ani-*

*mum.* Idem pro Deiot. c. 6. *hac suspicione sum percussus*, ubi vid. Graev. Sueton. Tib. c. 11. *percussus inopinata re, diu quid ageret incertus. Percussus* et *perculsus* centies a librariis confunduntur. Vulgares magistri contendunt *percussus* ad corpus, *perculsus* ad animum referri, quod a vero alienum est. Utrumque de utroque dicitur, de corpore proprie, de animo translate; sed *percellere* in re graviori locum habet, ut si quis quasi fulmine ictus extra se rapitur et prae subita animi invasione quid agat nescit. Horat. Epod. VII. 15. *Tacent et albus ora pallor inficit mentesque perculsae stupent. Percuti* vero dicitur in leviori affectu, ubi animus quidem commotus est, nec tamen eversus et consternatus. De horum verborum discrimine vid. Rivium ad h. l. Interpretes ad Ovid. Met. IV. 138. imprimis magnum Bentleium ad Horat. Epod. XI. 2.

Ibid. *Atat.* Hac particula utuntur, qui diu incerti tandem rem intelligere incipiunt. Eun. IV. 5. 1. Ceterum hic mente supplendum est: haec mecum cogitabam. Nam quod Simo secum cogitavit, nunc per imitationem narrat.

Ibid. *Hoc illud est.* Exquisita formula, qua irati, expostulantes, item admirantes utuntur. Eam explicuit Gronov. Obss. in Script. Eccl. c. 18. Propert. II. 19. 1. *Hoc erat imprimis quod me gaudere iubebas.* Virg. Aen. IV. 675. *Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?* Petron. c. 93. *Hoc erat quod promiseras*, ubi vid. Burmannus.

99. *Hinc illae lacrimae* in proverbium abiit, quum causam rei, quae nos diu latuerat, indicamus. Cic. pro Coel. c. 25. Hor. Epist. I. 19. 41.

100. *Timeo* i. e. cum timore exspecto, ut Phorm. I. 3. 2.

Ibid. *Quorsum evadas*, quem exitum narratio tua habitura sit. Infra I. 2. 5. *Heri lenitas verebar quorsum evaderet.* Nep. Dion. c. 8. *et quorsum evaderent timeret*, ubi vid. Interpretes.

Ibid. *Funus procedit.* Proprie utitur verbo *procedere.* Habet enim significationem pompae et gravitatis in incessu. Imprimis Consul *procedere* dicitur, quum primo consulatus die in Capitolium comitante amicorum caterva deducitur. Vid. Drakenb.

ad Sil. Ital. VI. 444. Eadem vis est verbo *incedere.* Vid. Broukhusius ad Propert. II. 2. 58.

101. *Sepulcrum* hic ponitur pro busto vel rogo, ut contextus docet. Cic. Verr. V. 36. *ut duo sepulcra duorum praetorum improborum constituerentur,* ubi vid. Hotomann. Et sic *sepelire* dicitur de combustione et quocunque genere cadaveris amovendi. Liv. VII. 24. *sepultumque Consentiae quod membrorum reliquum fuit,* ubi vid. Drakenb. Similiter *humare* dicitur pro cremare. Cic. de Leg. II. 22. *Quod nunc communiter in omnibus sepultis est, ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus iniecta contegeret.*

102. *In ignem imposita est.* Olim hic legebatur *in ignem posita est,* quod defendi potest ex iis, quae Oudendorp. ad Caes. B. G. VIII. 46. annotavit. Rectius tamen viri docti e mss. revocarunt *in ignem imposita est. Imponere in locum* non minus recte dicitur quam *imponere in loco,* quamvis vulgo Grammatici tradant, praepos. *in* accusativum adsciscere, quum motum, ablativum, quum quietem indicat. Cic. Tusc. Disp. I. 35. *Metellum enim multi in rogum imposuerunt.* Liv. I. 18. *dextra in caput Numae imposita,* ubi vid. Drakenb. Add. Obss. Misc. Vol. III. p. 399.

Ibid. *Fletur.* Hunc ritum funebrem explicat Broukhusius ad Tibull. I. 3. 8.

104. *Exanimatus* est ita perterritus, ut animum perdidisse videatur. Infra I. 4. 7. *quidnam Pamphilum exanimatum video.* Saepe additur *metu* ut Phorm. III. 3. 32.

Ibid. *Bene dissimulatum. Bene* est docte, perite, callide, ut contra *male dissimulatus* apud Vellei. Pat. II. 109. is, qui sic dissimulat, ut animus eius facile detegi possit. Ita *bonus* pro docto, *malus* pro indocto dicitur.

107. *Cur te is perditum* i. e. cur te perdis vel vis perdere? Heaut. II. 3. 74. *tu tibi laudem is quaesitum.* Iustin. XXXVIII. 5. *quia ultum ierit se.* Curt. X. 8. *Temeritatem armis ultum ire decreverant.* Haec tamen loquendi ratio Comicis et scriptoribus antiquitatis studiosis, ut Sallustio, familiarior est, quam Cice-

roni, Caesari et similibus. Sanct. Min. III. 11. p. 470. et Cort. ad Sallust. Cat. c. 36.

108. *Cerneres* i. e. iudicares, intelligeres. Verbi *cernere* varias potestates explicuere Perizon. Sanct. Min. IV. 15. p. 768. et Kusterus in Diss. de h. v. quae subiecta est libello de verb. Graecorum mediis. Eleganter autem Veteres secunda persona praesertim imperfecti utuntur, quum quid generatim de omnibus dici volunt. Petron. c. 7. *Putares ab eadem anicula esse deductum* i. e. quisque putaret, et c. 91. *Scires non libenter servire.* Plura Drakenb. ad Liv. III. 11. 2.

109. *Reiecit se in eum* h. e. dedit se amplectenti Pamphilo atque in eo innixa est, non conata se explicare amplexu. *Reiicere* proprie est in dorsum versus removere, ut docet Oudendorp. ad Apul. Met. II. p. 86.

Ibid. *Quam familiariter.* *Quam* est valde et saepe iungitur positivi gradus nominibus, ut apud Caes. B. G. VI. 26. *rami quam late diffunduntur*, ubi vid. Interpretes. Cic. Verr. IV. 25. *Sunt vestrum, iudices, quam multi.* Idem saepe dicit *sane quam.* Vid. Graevius ad Ep. ad Attic. VII. 15.

110. *Quid ais?* admirandi formula est ut infra III. 3. 43. aliquando obiurgandi ut apud Petron. c. 71., ubi vid. Burmann.

111. *Ad obiurgandum causae* pro obiurgandi causae; saepe sic loquitur Livius ut VIII. 13. *omnium rerum vobis ad consulendum potestas esset*, ubi vid. Drakenborch.

112. *Commerere* plerumque dicitur in malam partem de eo, qui poena dignus est. Hec. IV. 4. 9. *nullam de his rebus culpam commeruit;* ei contrarium est *promerere.* Vid. Donat. ad Adelph. II. 1. 47.

114. *Honesta oratio est* i. e. oratio habet speciem honestatis et humanitatis. Terentium imitatur Cic. de Off. II. 20.

116. *Damnum dare* est damnum inferre, pro quo minus latine vulgo dicitur *damnum facere;* id enim significat damnum pati. Duker. de Latinit. Vet. ICt. p. 373. Similiter *malum dare* est malo afficere. Infra II. 5. 20. *ut pro hoc malo mihi det malum.* Vid. Interpretes ad Phaedr. I. 16. 2. *Damnum* est rei, *malum* hominis, ut Donatus annotat.

118. *Indignum facinus* est irati et indignantis exclamatio, ut Eun. I. 1. 25. Phorm. IV. 3. 8. *Indignum* est turpe, foedum, non ferendum.

119. *Pro uxore habere peregrinam* i. e. loco uxoris, ut Heaut. I. 1. 46. et Adelph. I. 1. 23. Veteres autem peregrinas mulieres fere pro meretricibus habebant. Nam honestae feminae domi continebantur, inhonestae meretricium quaestum apud alios potius quam apud suos facere volebant. Donat. ad h. l. et Isaac. Casaubonus ad Theoph. Char. c. 28. p. 365.

120. *Instat factum* i. e. urget dicendo et iterando, factum esse. Heaut. V. 1. 22. *magis unum etiam instare, ut hodie conficerentur nuptiae.* Gronov. ad Liv. XXXII. 12. 10. et Schulting. ad Senec. Controv. I. p. 92.

Ibid. *Denique* i. e. ut paucis dicam, ut paucis omnia complectar. Cic. ad Div. X. 10. *is enim denique honos mihi videri solet*, ubi vid. Graevius. Ovid. Ep. XX. 65. *deniquè dum captam tu te cogare fateri.* Duker. ad Flor. I. 16. 3. p. 134.

122. *Non tu ibi gnatum.* Intellige: obiurgasti, vel simile verbum. Vid. Donat. ad h. l.

123. *Cedo* aliquando ponitur pro da, aliquando pro dic ut h. l. et infra II. 3. 9.

125. *Adest*, nempe tempus. De huius nominis frequenti ellipsi vid. Sanct. Min. IV. 4. p. 645.

Ibid. *Alieno more* i. e. alterius arbitrio, voluntate. Heaut. I. 2. 29. *huncine erat aequum ex illius more vivere.* Mox dicit *modo* ut Heaut. II. 4. 21. *non licere meo modo ingenium frui.* Eun. V. 3. 11. *qui hunc excruciem meo modo.* Sallust. Fragm. p. 973. *Gerant habeantque suo modo imperia*, ubi vid. Cortius. Idem sic expressit Virg. Aen. IV. 340. *Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis.*

127. *Locus* est occasio, facultas. Infra I. 4. 6. *date illi in aliis potius peccandi locum.* II. 2. 17. *nunc non est narrandi locus.* Liv. IX. 2. *Quando nec consilio nec auxilio locus esset*, ubi vid. Drakenb. Male vero quidam *relictus* in *reliquus* mutavit. Caes. B. G. V. 19. *millibus circiter essedariorum relictis itinera nostra servabat.* Liv. IV. 27. *Nulla in proelio iusto relicta spe.* Vid. Bentlei. ad h. l.

129. *Iniuria ab illo* est iniuria illius, quam ille facit. Nam praep. *ab* saepe inservit genitivo circumscribendo. Infra III. 1. 3. *ab Andria ancilla* i. e. Andriae ancilla. Plaut. Mil. II. 2. 5. *quemque a milite hominem.* Sallust. Fragm. p. 934. *metus a Tarquinio.* Liv. XXVII. 5. *fides a consule*, ubi vid. Gronov. Valer. Flacc. V. 243. *ab auro fulgor.* Perizon. ad Sanct. Min. III. 3. not. 138. p. 389. et Cort. ad Cic. ad Div. III. 13. *Animadvertere* est castigare, vindicare. Infra IV. 4. 28. Vid. Donat. ad h. l. *Iniuria* est peccatum, ut apud Ovid. Ep. VIII. 87. *Quae mea coelestes iniuria fecit iniquos.*

130. *Id operam do.* Sic etiam loquitur infra II. 1. 7. et Hec. III. 3. 48. *idem nunc huic operam dabo*, in quibus deest praepos. *in*, quam addit Cic. Tusc. Disp. I. 4. *in quam exercitationem ita nos studiose operam dedimus.* ubi vid. Davisius.

132. *Consilii* i. e. fraudis, doli; sic stratagemata *consilia* vocantur.

133. *Consumat nunc* i. e. si quid habet artis, adhibeat nunc, nihil intentatum relinquat. Cic. pro Sext. c. 13. *cum omnem vim sui tribunatus in mea salute consumserit.* Ovid. Met. VIII. 106. *Consumtis precibus violentam transit in iram.* Burmann. ad Petron. c. 33. p. 130.

134. *Manibus pedibusque.* Proverbium pro omni conatu. Vid. infra IV. 1. 52. et P. Victorii Var. Lect. IV. 19.

Ibid. *Incommodare alicui* significat incommodum alicui afferre, nocere. Cic. pro Quint. c. 16. *cum ipsi nihil alteri scientes incommodarint.* Id. de Fin. V. 19. *quod delectentur animi, atque ipsa scientia, etiamsi incommodatura sit, gaudeant,* ubi vid. Lambin. et Davis. Contra *commodare alicui* est facere, quae alicui commoda sunt. Hec. V. 1. 33. *meritus de me est, quod queam, illi ut commodem.* Cic. ad Div. XIII. 35. *omnibus rebus, quod sine molestia tua facere possis, ei commodes.*

137. *Mens* est indoles, ingenium, *animus* consilium, voluntas. Sensus igitur est: ex mala indole oriuntur mala consilia. Vid. Serv. ad Aen. VI. 11.

Ibid. *Si sensero.* Est aposiopesis; plenus sermo esset: si sensero moliri aliquid, poenas dabit.

140. *Confore* i. e. perfici posse. Donatus hoc verbum pessime deducit a *confit*. Amm. Marcell. XXIV. 8. *Quorum neutrum extis inspectis confore dicebatur*, ubi vid. Valesius.

142. *Observare* saepe est omnia dicta et facta alicuius more custodis aut speculatoris animadvertere. Infra II. 5. 1. *iussit Pamphilum hodie observare.* Similiter *servare* dicit infra I. 3. 7. *me infensus servat.*

144. *Iam nunc.* Hae particulae saepe iunguntur. Ovid. Ep. II. 83. *Doctas iam nunc eat, inquit, Athenas.* Liv. XXXI. 32. *tempus ita iam nunc statui posse*, ubi vid. Drakenborchius.

Ibid. *I prae* dicitur pro praei, ut Eun. V. 2. 69.

## ACT. I. SCEN. II.

1. *Nolit uxorem.* Ubicunque *volo* et *nolo* accusativum adiunctum habent, is pendet a subintellecto infinitivo. Hic supplendum est *ducere.*

4. *Mirabar.* Intelligendum est, Simonem, priusquam haec cum Sosia egerat, cum Davo locutum esse.

Ibid. *Si sic abiret* i. e. si hoc ferremus impune, si nobis nihil molestiae inde oriretur. Catull. XIV. 16. *Non hoc tibi, salse, sic abibit.* Cic. de Fin. V. 3. *etsi hoc, inquit, fortasse non poterit sic abire.* Simili ratione aliquis dicitur *auferre quid* scil. impunitum, inultum. Adelph. III. 4. 8. *Haud sic auferent.*

Ibid. *Semper lenitas.* Si Donatum et alios interpretes sequamur, *semper lenitas* per figuram hyphen est perpetua lenitas, ut apud Virg. Aen. I. 198. *ante mala* sunt superiora mala. Vid. Vossii Inst. Orat. V. 4. p. 241. Sed hic *semper* rectius iungitur cum verbo *verebar.*

7. *Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit* i. e. nunquam cum quoquam nostrum locutus est. Infra II. 4. in fin. *Nunquam hodie tecum commutaturum verbum.*

9. *Id voluit* i. e. hoc eius consilium fuit. Sic Sueton. Caes. c. 30. *Hoc voluerunt.*

Ibid. *Necopinantes.* Veteres *necopinans* et *necopinus* dicunt pro inopinans, ut *nec* valeat *non.* Heaut. I. 2. 12. *ut hanc lae-*

*titiam necopinanti primus obiicerem.* Manut. ad Cic. ad Div. XIII. 18. et Drakenb. ad Liv. IV. 27. 8.

Ibid. *Duci falso gaudio* i. e. decipi. Sic infra IV. 1. 20. *etiam nunc me ducere istis dictis postulas.* Propert. II. 13. 57. *promissis ducere amantem.* Heins. ad Ovid. Met. VIII. 123. et Bentlei. ad Horat. Serm. I. 2. 88.

10. *Oscitantes* i. e. negligentes, securos. *Oscitare* signum securitatis. Vid. Gell. IV. 20.

Ibid. *Opprimi* dicitur, cuicunque aliquid subito et praeter opinionem accidit. Cic. Verr. III. 91. *Antonium mors oppressit.* Liv. XXXVII. 4. *eo ipso, quod nihil tale timerent, opprimi incautos posse.* I. F. Gronov. ad Liv. XXX. 10. 8.

11. *Cogitandi* i. e. consultandi, deliberandi. Nep. Dat. c. 7. *quum cogitasset, facere auderet et prius cogitare, quam conari consuesset.* Vell. Pat. I. 10. *cogitationem regiam Romana disiecit constantia.* Cort. ad Cic. Ep. ad Div. III. 2.

12. *Provideram* i. e. ante videram. Plaut. Asin. II. 4. 44. *non hercle te provideram; quaeso ne vitio vortas.*

14. *Id populus curat scilicet.* Sensus est, non credo rumorem esse in populo; cur enim populus curet filii tui amorem? *Scilicet* et *videlicet* eleganter inserviunt ironiae. Virg. Aen. IV. 379. *scilicet is superis labor est.* Vid. Bentlei. ad Adelph. V. 3. 5. Terentium imitatur Cic. ad Attic. XIII. 34.

15. *Hoccine agis an non?* i. e. utrum attendis ad ea, quae dico, an non? Haec formula, qua qui spectant vel audiunt attento animo esse iubentur, ex veterum sacris manavit. Nam sacerdos, antequam victima immolaretur, clamabat *hoc age*, monens populum, ut huic rei intentus esset. Vid. Plutarch. Num. p. 69. D. et Coriol. p. 225. F. et Interpr. ad Suet. Calig. c. 58. Infra II. 5. 4. *hoc agam.* Heaut. III. 2. 47. *nunc istuc age.* Huic formulae contraria est *alias res agere* i. e. non attentum esse. Eun. II. 3. 57. et Hec. V. 3. 28.

17. *Dum tempus ad eam rem tulit*, i. e. dum tempus ei rei idoneum passum est. Infra II. 6. 12. *dum aetas tulit.* Vid. Bentl. ad Heaut. IV. 1. 54. Iungenda sunt *tempus* et *ad eam rem.*

Ibid. *Sivi.* Codd. quidam apud Lindenbrog. pro *sivi* habent vetustam formam *sini*, quae forte a Terentii manu est. Nam veteres saepe praeterita forma praesentium et contra praesentia forma praeteritorum inflectebant, ut *impelli, negligi, evadi, eripi* etc. Vossius de Anal. III. 28. p. 307. et Duker. de Lat, vet. ICt. p. 334. sq.

Ibid. *Animum ut expleret suum* i. e. ut amore se satiaret. *Explere animum* eleganter dicuntur, qui affectibus animi, amori, irae etc. obsequuntur. Hec. V. 1. 28. *exple animum iis.* Eodem sensu infra IV. 1. 17. *animo morem gessero.* Adelph. I. 1. 8. *animo obsequi.* Ovid. Met. XII. 598. *animo indulgens.*

19. *Sive* ponitur pro vel si. Infra I. 5. 58. *sive te haec solum semper fecit maximi.* Eun. II. 3. 21. *sive adeo digna res est.* Cic. de Leg. I. 7. *sive quod est aliud verbum.* Vid. Rivius ad h. l.

Ibid. *Ut redeat in viam* h. e. ut mores suos emendet, prava vita relicta. *Via* simpliciter ponitur pro vera et recta via ut ὁδὸς apud Eurip. Med. v. 765. Cic. Philipp. XII. 2. *Quodsi est erratum P. C. spe falsa atque fallaci, redeamus in viam.* Contra *errare via, decedere de via, deflectere de via* est peccare.

Ibid. *Iam* tarditatis signum habet, ut Donatus monet, et idem valet quod *tandem.* Petron. c. 44. *Iam scio unde acceperit denarios mille aureos*, ubi vid. Burmannus.

21. *Ita aiunt.* Formula eorum, qui non ex animi sententia assentiuntur, ut infra II. 1. 21. Adelph. V. 8. 7. Eodem sensu dicitur *ita praedicant* infra V. 3. 4.

Ibid. *Magister* is est, cuius suasu et consiliis omnia agimus. Senec. Thyest. v. 311. *Saepe in magistrum scelera redierunt sua.* Burmann. ad Phaedr. II. 6. 15.

22. *Animum aegrotum* i. e. amore laborantem. Veteres philosophi amorem aliasque animi affectiones morbos dicunt. Nihili vero discrimen est, quod Donatus tradit, *aegrum* animum dici, corpus *aegrotum.* Ipse Terentius alibi quoque sic loquitur et Cic. Tusc. Disp. III. 4. *aegrotatio mentis.*

23. *Davus sum, non Oedipus* i. e. sermones tui aeque obscuri sunt atque aenigmata. Illis igitur solvendis Oedipus adhibendus est. Vid. Proverb. Scriptores.

28. *Pistrinum* est locus, ubi fruges tostae pinsuntur et panis conficitur, unde pinsores dicti sunt *pistores*. Vid. Vossii Etym. Hic labor quum durissimus esset, in pistrinum detrudebant et compingebant servos, qui quid peccassent. Saepe heri apud Comicos hoc supplicium servis minantur. Phorm. II. 1. 19. Vid. Cl. Hemsterhusius ad Lucian. Timon. p. 136.

29. *Ea lege* i. e. ea conditione. Eun. I. 2. 22. *hac lege meam tibi adstringo fidem.* Heins. ad Ovid. Epist. XII. 39.

Ibid. *Omine* i. e. praesagio; dicit enim herus, si servum inde exemerit, id sibi praesagium vel signum futurum, ut ipse pro servo molat.

30. *Callide* i. e. plane, probe. Vid. Adelph. III. 3. 63. et Plaut. Asin. II. 2. 82.

31. *Nihil* pro non ponitur, ut mox *nihil me fallis.* Cic. ad Div. V. 20. *qui ambitione nihil uterer.* IX. 16. *Oenomao tuo nihil utor.* Perizon. ad Sanct. Min. IV. 4. not. 83. p. 616. et Drakenb. ad Liv. XXII. 45. 5.

Ibid. *Circuitione* i. e. ambagibus. Cic. de Divin. II. 17. *Circuitione quadam Deos tollens.* Barbari dicunt *per indirectum.* Utroque autem modo dicitur *circumire et circuire;* vid. Drakenb. ad Liv. XXVI. 29. 3.

33. *Bona verba quaeso* i. e. loquere meliora; noli putare te a me deludi posse. Locutio sumta est a sacris, in quibus *bona verba dicere* est verbis, quae malum omen habeant, abstinere. Tibull. II. 2. 1. *Dicamus bona verba,* ubi vid. Broukhusius.

Ibid. *Nihil me fallis* i. e. non me lates, non latenter agis. Liv. XXXI. 26. *fefellere insidiae.* XLI. 2. *nec quidquam eos fallebat,* ubi vid. Drakenb. Sic *vita fallens* pro obscura, latente apud Horat. Epist. I. 18. 103.

Ibid. *Dico tibi* est graviter increpantis et minantis formula. Eun. II. 3. 46. *tibi dico Chaerea.* Ovid. Ep. XX. 153. *Alterius thalamo tibi nos, tibi dicimus, exi.* Phaedr. IV. 19. 18. *tibi dico, avare,* ubi vid. Interpretes.

34. *Neque tu haud dicas.* Saepe apud Latinos Graecorum exemplo duae negationes non affirmant, sed negant. Eun. V.

8. 47. *nec magis ex usu tuo nemo est.* Plaut. Epid. V. 1. 57. *neque ille haud obiiciet mihi.* Propert. II. 15. 5. *Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras*, ubi vid. Broukhus. Add. Duker. ad Flor. III. 17. p. 577. et Bentleius ad h. l.

## ACT. I. SC. III.

1. *Enimvero* est vox indignantis ac dolori exprimendo accommodata. Cic. Verr. I. 26. *hic tum alius ex alia parte: enimvero ferendum hoc non est.* Gronov. ad Liv. XXVII. 30. 13.

3. *Si non astu providentur* i. e. si non astute et callide caventur. Phorm. I. 4. 5. et Gronov. ad Liv. XXXVI. 17. 12. Hinc *cautus* et *providens* saepe iunguntur, ut apud Liv. XXV. 34. Recte vero Donatus observat, metaphoram ductam esse a gubernatore, qui procellam ex adverso venientem providet et navi suae cavet; id quod etiam clarum est e verbo *pessum dare.* Cic. Cat. IV. 2. *incumbite ad reipublicae salutem, circumspicite omnes procellas, quae impendent, nisi providetis.* Ceterum *providentur* h. l. exquisitiori ratione ponitur pro singulari *providetur*; de qua constructione vid. Gronov. ad Liv. XXVII. 15. 12.

Ibid. *Pessum dare* dicitur ut *venum, victum, pastum dare.* Est enim supinum ab antiquo verbo *petior* i. e. subigor, pedibus calcor. Proprium domicilium habet in navibus unda mersis. Plaut. Rud. II. 3. 64. *nunc eam cum navi scilicet abisse pessum in altum*; hinc translate dicitur pro perdere. Sallust. Iug. c. 1. *Sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis pessum datus*, ubi vid. Cortius.

4. *Certum est* i. e. decretum, constitutum est. Infra II. 1. 11. *omnia experiri certum est.* Cic. pro Rosc. Am. c. 11. *certum est deliberatumque omnia dicere.* Vid. Drakenborch. ad Liv. II. 45. 13.

5. *Vita* saepe apud Terentium est salus, bona existimatio et quidquid carum est. Infra I. 5. 37. et Adelph. III. 2. 42.

Ibid. *Timeo.* Veteres ambiguitatis vitandae causa constructionem verborum *timeo* et *metuo* ita distinxerunt, ut malum, quod timemus, in accusativo ponerent, rem amatam, propter

quam sumus in metu, in dativo; utrumque habemus in hoc uno loco: in timore sum de eius vita, quam servari cupio, et propter huius minas, a quibus mali quid exspecto. Perizon. Sanct. Min. III. 3. p. 353.

6. *Verba dare* i. e. fallere, decipere, quia qui rem exspectat et nihil praeter verba invenit, deceptus est. Hanc locutionis rationem eleganter reddit Donatus ad Eun. prol. v. 24. Infra III. 2. 24. Eun. IV. 5. 1.

Ibid. *Primum*. Saepe apud optimos scriptores occurrit *primum*, non sequentibus part. *deinde*, *postea* et similibus, et contra *primum* omittitur, sequentibus *deinde*, *postea* etc. Exempla habent Gronov. ad Liv. XXXIV. 19. 8. et Duker. ad Flor. II. 18. p. 412. sq.

8. *Causam ceperit* i. e. quemcunque praetextum arripuerit. Saepe *causa* est praetextus. Eun. V. 5. 30. *iam diu aliquam causam quaerebat senex*. Caes. B. C. III. 24. *per causam exercendorum remigum*. Ovid. Trist. II. 452. *Per causam meminit se tetigisse manum*. Vid. Casaubon. ad Suet. Caes. c. 2. et Drakenb. ad Liv. II. 32. 1. Ceterum aliquid impediti est in huius loci constructione, de quo vid. Bentleius.

9. *Quo iure quaque iniuria*. Omnino cum Bentleio et aliis legendum *qua iure, qua iniuria* i. e. quocunque modo, sive iuste sive iniuste. Proverbialiter dicitur, ut apud Graecos δικαίως καὶ ἀδίκως. Liv. II. 54. *iure an iniuria eripiendos esse reos*. Ceterum part. *qua, qua* eleganter ponuntur pro tum, tum. Liv. X. 38. *consul insignis qua paterna gloria qua sua*. Plin. Ep. IX. 2. *ingenio qua varietas rerum qua magnitudo largissime suppetebat*. Gronov. Obss. III. 12. Heinsius ad Val. Flacc. V. 85. et Bentlei. ad h. l.

Ibid. *Praecipitem dabit* i. e. per vim, cum impetu conniciet. Phorm. IV. 3. 20. *ut praecipitem hanc daret*. Catull. CIV. 2. *Musae furcillis praecipitem eiiciunt*. Ita frequens est *aliquem praecipitem agere*. Sallust. Cat. c. 31. *circumventus ab inimicis praeceps agor*. Vid. Interpretes ad Liv. XXX. 14. 10.

11. *Sive ista uxor sive amica est*. Gulielmius Quaest. Plaut. c. 9. et Bentleius, ut laboranti metro succurrant, legunt *Si*

*ista uxor sive amica est.* *Si* idem valet quod sive. Plaut. Curcul. I. 1. 4. *si media nox est sive est prima vespera.* Etiam *si*, *si* dicitur pro sive, sive, ut in precum formula apud Gell. II. 28. *si Deo, si Deae.* Vid. Bentlei. ad h. l.

12. *Audire est operae pretium audaciam* i. e. qui eorum audaciam audiverit, fructum dignum opera capiet. *Audire* ponitur pro auditio; infinitivus pro substantivo. Vide quos laudat Drakenb. ad Liv. I. 45. 9. Pro *operae pretium esse* interdum omissa voce *operae* dicitur *pretium esse.* Tacit. Annal. I. 57. *Germanico pretium fuit convertere agmen*, ubi vid. Freinshem. In his autem locutionibus *pretium* notat praemium, mercedem.

13. *Incipere, inceptio, inceptum* proprie dicuntur de consilio temerario et audaci. Infra I. 5. 1. *Hocine est humanum factum aut inceptum.* Eun. V. 8. 5. *inceptor, perfector*, ubi vid. Donatus. Liv. XXIV. 19. *neque satis inceptis succederet.* Cortius ad Sallust. Cat. c. 20. 3.

14. *Quicquid peperisset.* Ita veteres neutro genere loquebantur de partu et futuro et recens nato. Plaut. Amphitr. I. 3. 3. *quod erit natum, tollito.* Cic. ad Att. X. 18. *quod quidem est natum, perimbecillum est.* Ovid. Ep. VI. 61. *Quod tamen e nobis gravida celatur in alvo.* Vid. Interpr. ad Matth. I. 20. et Gronov. Lect. Plaut. p. 14. sq.

Ibid. *Tollere.* Locutiones *tollere* et *suscipere liberos* pro educare fluxerunt e moribus Graecorum et Romanorum, in quorum potestate erat, infantes ex se natos vel educare vel exponere vel interficere. Infantes recens nati in terra ponebantur, invocata Ope, ut eos placide terrae sinu exciperet et adiuvaret. Ex quo more intelligendus Ovid. Trist. IV. 3. 46. *Tactaque nascenti corpus haberet humus*, et Sueton. Aug. c. 5. *solum, quod primum D. Augustus nascens attigisset*, ubi vid. Torrentius. Hinc *cadere* pro nasci apud Stat. Silv. I. 2. 109. *tellure cadentem Excepi fovique sinu.* Positum sic in terra infantem pater si educare vellet, tollebat, si nollet, relinquebat iacentem; quem saepe servi alienae misericordiae exponebant, additis crepundiis quibusdam, unde postea cognosci posset. Lambin. ad Horat. Serm. II. 5. 46.

15. *Fingunt fallaciam* i. e. parant commentum. Eun. I. 2. 58. *fingit causas ne det sedulo.* Graevius ad Iustin. XXV. 3.

16. *Civem Atticam;* nempe, si civis Attica fuisset, ex Atheniensium lege Pamphilus cogi potuisset eam uxorem ducere.

18. *Eiectam* scil. in littus de nave naufraga; proprie et navis et homo, qui fluctibus in terram expellitur, *eiici* dicitur. Virg. Aen. IV. 373. *eiectum littore egentem Excepi.* Infra V. 4. 20. *Atticus quidam olim navi fracta ad Andrum eiectus est.* Gronov. ad Senec. Contr. III. c. 16. Hinc Cicero pro Quint. c. 19. translate *eiectum* vocat, qui rebus suis spoliatus est.

20. *Atque* hic ponitur pro et tamen, et verum. Sic Graevius capit Cic. ad Attic. VI. 1. *Atque hoc tempore ipso impingit mihi epistolam.* Plura habet exempla Cortius ad Sallust. Iug. c. 4. 3.

21. *Ab ea egreditur* i. e. ex eius aedibus. Heaut. II. 2. 6. *a patre exiens.* Phorm. V. 1. 5. *a fratre quae egressa est meo.* Cic. pro Milon. c. 19. *Devertit Clodius ad se* i. e. in villam suam. Gronov. Lect. Plaut. p. 56.

Ibid. *Hinc me ad forum;* supplendum conferam. Infra II. 2. 24. *ego me continuo ad Chremem.* Saepe in his locutionibus verbum, quod motum ad locum significat, omittitur. Gronov. ad Senec. Troad. v. 844. et Duker. ad Flor. III. 6. p. 502. In foro servus se sperabat Pamphilum conventurum, quia otiosi apud Athenienses in forum venire solebant confabulandi gratia, cuius moris plura vestigia sunt apud Terentium.

22. *Imprudens* est, qui nihil mali suspicatur. Eun. I. 2. 56. Contra *prudens*, qui id providet. Eun. I. 1. 27. Drakenb. ad Sil. Ital. VI. 166.

## ACT. I. SC. IV.

1. *Iam dudum* dicitur de tempore non longe praeterito. Eun. IV. 6. 5. *ego iam dudum hic adsum.* Cic. de Amic. c. 22. *Ea, quam iam dudum tractamus, stabilitas amicitiae confirmari potest,* pro quo Petronius dicit *iam olim.* Broukhus. ad Tibull. III. 6. 63. et Drakenb. ad Sil. Ital. XI. 373.

2. *Pol* contracte dicitur pro *per Pollucem*. Idem est *aedepol*. Hoc iusiurandum et viris et feminis commune erat, sed *mecastor* solae feminae, *mehercle* soli viri dicebant. Gell. XI. 6. *Sane* iungendum cum *temulenta*.

4. *Tamen eam adducam*. Plenus sensus est: etsi mulier temulenta est, tamen eam adducam. Nam saepe particulae *quanquam*, *quamvis*, *etsi*, quibus *tamen* respondere solet, per ellipsin omittuntur. Gronov. ad Liv. XXIII. 19. 12. et Drakenb. ad eund. XXXVII. 25. 11.

Ibid. *Importunitatem*. Proprie *importunus* est non habens commodum portum; hinc metaphorice de homine inficeto, incommodo dicitur. Cic. de Amic. c. 15. *Quanquam miror illa superbia et importunitate si quemquam habere potuit*. Gronov. ad Senec. de Benef. IV. 3. et Duker. ad Flor. I. 8. p. 68.

6. *Huic* refertur ad mulierem, quae parit, cuius mentio v. 3., *illi* ad compotricem, cuius mentio v. 5. Neque enim semper verum est, quod Grammatici tradunt, *hic* ad propinquius, *ille* ad remotius referri. Vid. quos laudavimus ad Rutil. Lup. II. p. 126.

8. *Opperiar*. Huius verbi originem et vim praeclare explanavit Perizon. ad Sanct. Min. III. 2. p. 279.

Ibid. *Ut sciam nunc quidnam*. Legendum ex Donato et vet. cod. apud Bentl. *numquidnam* i. e. ut sciam an quidpiam. Plaut. Asin. V. 1. 3. *numquidnam tibi molestum est*. Infra II. 1. 25. *numquidnam amplius tibi cum illa fuit*. Vid. Rivius ad h. l.

Ibid. *Turba* est perturbatio, ut in locutionibus *turbas dare*, *facere*. Eun. IV. 4. 59.

## ACT. I. SC. V.

2. *Pro Deum atque hominum fidem*; subintelligendum obtestor. Frequentissima est implorandi formula, in qua *fidei* nomen significat opem, auxilium. Brisson. de Formul. p. 693. et Gortius ad Sallust. Cat. c. 20. Sed eadem formula aliis etiam modis effertur, ut Phorm. II. 3. 4. *pro Deum immortalium*. Adelph. III. 4. 1. *pro Dii immortales*. Muretus infra ad v. 11.

Ibid. *Quid est, si haec non contumelia est.* Recte Bentleius e Donato et mss. *hoc* edidit pro vulgato *haec.* Nam haec quoque constructio Veteribus usitata est. Ovid. Met. II. 262. *Campus arenae, quod modo pontus erat.* Iustin. XVIII. 3. *Id primum aliis videri furor.* Senec. de Benef. II. 8. *Non est illud liberalitas.* Haec et alia plura exempla habet Gronov. ad Senec. Consol. ad Marc. c. 19.

3. *Uxorem decrerat dare* pro si uxorem decreverat dare. Nam *si* saepe per ellipsin reticetur. Virg. Aen. VI. 31. *tu quoque magnam Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes.* Terent. Heaut. III. I. 78. *dare denegaris, ibit ad illud illico.* Manut. ad Cic. Verr. V. 65. et Gronov. Obss. IV. 20.

Ibid. *Decrerat dare* pro *daturum*; praes. infinit. pro fut. ut millies. Infra III. 5. 7. *qui sum pollicitus ducere.* Davis. ad Caes. B. G. IV. 21. et Interpretes ad Liv. II. 5. 1.

4. *Praescisse ante* per pleonasmum dicitur ut *ante praedicere, ante praeoccupare, prius praevenire, rursus repetere* et multa alia eius generis, de quibus vid. Interpretes ad Liv. XXI. 20. 8.

5. *Verbum* ponitur pro sermone ut Eun. I. 2. 95.

6. *Quid Chremes* i. e. quid de Chremete dicam. *Quid* habet vim connectendi et transeundi ad aliud. Phorm. I. 2. 97. et ibi Donatus; imprimis Duker. ad Flor. II. 6. p. 298.

7. *Immutatum* i. e. non mutatum, constantem in amore Glycerii. Composita quaedam cum *in* eaque fere participia vel eorum formam habentia ancipitis notionis sunt et modo affirmandi, modo negandi vim habent; eiusmodi sunt *incertus, inquisitus, impressus* et, quod hic habemus, *immutatus.* Duker. de Lat. Vet. ICt. p. 338.

10. *Adeon hominem esse invenustum.* Hicce infinitivus nihil habet, a quo pendeat, sed sic Veteres infinitivo uti solent in admirationibus et indignationibus, subintelligentes mirandum est, incredibile est, aut tale quid. Infra IV. 3. 1. *nihilne e se proprium cuiquam.* V. 2. 29. *tantum laborem capere ob talem filium.* Sueton. Caes. c. 84. *Mene servasse, ut essent, qui me perderent.* Gronov. Obss. II. 14. Graev. in Cic. Ep.

ad Att. II. 6. ad Iustin. II. 14. et Duker. ad Flor. I. 11. p. 90. *Invenustum* Muretus ad h. l. explicat infelicem in amore, cui non favet Venus in re amoris. Sed in universum capiendum est pro infelici; contra felix dicitur *venustatis plenus* in Hec. V. 4. 8. Loquendi ratio ducta est a talorum ludo, in quo felicissimus iactus *Venus*, infelicissimus *canis* dicebatur. Vid. Interpretes ad Sueton. Aug. c. 71. et Salmas. Exercit. Plin. p. 39. C.

12. *Affinitas* quidem in genere est coniunctio ratione nuptiarum, sed per excellentiam sic dicitur necessitudo inter socerum et generum. Iustin. VII. 3. *depositisque hostilibus animis, in affinitatis iura succedit.* Schulting. ad Senec. Controv. III. p. 247.

13. *Contemtus, spretus.* Plus est *spretus* quam *contemtus*; habet enim fastidii significationem. Broukhus. ad Tibull. I. 4. 77.

Ibid. *Facta transacta omnia;* formula ICtis usitata, qua significabatur, nihil, quod ad negotii tractationem pertineret, praetermissum esse, finita esse omnia. Cic. Catil. III. 6. *Atque illud, quod faciundum primum fuit, factum atque transactum est.* Gulielm. Quaest. Plaut. c. 6.

14. *Nisi si* eleganter pro nisi. Adelph. IV. 3. 3. *Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero.* Ovid. Ep. IV. 111. *Nisi si manifesta negamus*, ubi vid. Heinsius. Liv. VI. 26. *Nisi si quando a vobis arma accepimus.* Duker. ad Flor. IV. 7. p. 753.

15. *Aliquid monstri alunt* i. e. occultatur aliquod vitium. Nam monstra ob pudorem clanculum ali et occultari solent. Suspicabatur autem Pamphilus puellam vitio corporis sibi ignoto laborare. Vid. Erasmi Adag. p. 485.

17. *Nam* eleganter inservit transitioni, ut supra notavimus I. 1. 24.

19. *Apud forum* i. e. in foro. Infra IV. 4. 6. *Quid turbae apud forum est.* Adelph. IV. 1. 1. *apud villam est.* Liv. Epit. 111. *apud Pharsaliam acie victus est*, ubi vid. Dukerus.

Ibid. *Para*, nempe quae necessaria sunt ad nuptias. Verba *parare, apparare, comparare* saepe sine casu ponuntur. Nep.

Thras. c. 2. *tempore ad comparandum dato.* Cic. ad Div. XVI. 11. *Ex hac quoque parte diligentissime comparatur.* Ovid. Trist. I. 3. 7. *Nec mens nec spatium fuerant satis apta paranti.* Gronov. ad Liv. XXXVIII. 12. 4.

23. *Quid facerem* pro quid fecissem; imperf. pro plusquamperf. ut contra aliis locis plusquamperf. ponitur pro imperf. Sallust. Iug. c. 59. *Neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites magnam cladem in congressu facerent.* Exemplorum pleni sunt scriptores optimi. Vid. Gronov. ad Liv. XXXIV. 11. 2. et Drakenb. ad eund. XXXVIII. 2. 2.

25. *Quae meum animum divorsae trahunt* i. e. quae me animi incertum faciunt, quae modo hoc modo illud faciundum suadent. Virg. Aen. XII. 487, *Diversaeque vocant animum in contraria curae.*

26. *Misericordia huius* i. e. misericordia erga hanc, ut v. 27. *pudor patris* reverentia erga patrem, Liv. IV. 46. *verecundia ordinis* i. e. erga ordinem, ubi vid. Drakenb. Sic apud alios *metus Pompeii*, *iniuria legatorum*, *odium tyranni* etc. Perizon. ad Aelian. V. Hist. II. 25. 5. et Burmann. ad Virg. Aen. I. 716.

29. *Quorsum accidat* i. e. quorsum evadat, ut supra dixi. *Cadere* et *accidere* habent eventus boni vel mali significationem. Cic. ad Attic. III. 24. *Verebar quorsum id casurum esset.* Idem pro Rosc. Com. c. 15. *Quorsum recidat responsum tuum, non magnopere laboro.* Vid. Muretus ad h. l. Metaphoram desumtam esse ab aleis patet ex Adelph. IV. 7. 22. Broukhus. ad Tibull. I. 7. in fin. et Drakenb. ad Liv. XXII. 40. 3.

30. *Advorsum hunc loqui* i. e. ad hunc loqui, ut Livius dicit XXVIII. 27. 3. De vi praepositionis *advorsum* vid. not. ad I. 1. 15.

31. *In dubio est animus* pro dubius est animus. Lucret. III. 848. *In dubioque fuit sub utrorum regna cadendum Omnibus humanis esset*, ubi vid. Lambinus. Sic *in incerto est* pro incertum est. Drakenb. ad Liv. III. 8. 9.

Ibid. *Paulo momento impellitur.* Metaphora est a lance, cui in aequilibrio consistenti si leve pondus adiicias, in alterutram partem impellitur et movetur. *Momentum* vero contracte pro movimentum a verbo moveo proprie dicitur motus ille quem diximus. Terentium imitatur Ovid. Met. X. 375. *Sic animus vario labefactus vulnere nutat, Huc levis atque illuc, momentaque sumit utroque.* Liv. XXIII. 24. *Arbores ita inciderant ut immotae starent, momento levi impulsae occiderent.* *Paulo* est adiectivum a nominat. *paulus* i. e. exiguus. Adelph. V. 4. 22. *Paulo sumtu.* Heinsius ad Ovid. Met. VIII. 637.

32. *Quid agit* i. e. quomodo valet, quomodo se habet. Hec. III. 2. 10. *introiit videre quid agat.*

33. *Dolor* per eminentiam partus dolor dicitur. Adelph. III. 1. 2. III. 4. 40.

35. *Conari queam* suppl. facere. Sic Phorm. I. 2. 2. *ego obviam conabar tibi* sc. ire.

36. *Propter me* i. e. opera mea. Eun. V. 5. 29. *propter me hisce aliquid esse eventurum mali.* Hec. V. 3. 35. *propter me gaudia illi contigisse laetor.*

39. *Eductam* ponitur pro educatum. Heaut. II. 1. 14. *habet bene et pudice eductam.* Plaut. Curcul. IV. 2. 32. *bene ego istam eduxi meae domi ac pudice.* Cic. ad Div. VI. 5. *Ita natus, ita eductus, ita doctus es.* Savaron. ad Sid. Apoll. III. 11. et Drakenb. ad Liv. XXI. 43. 15.

44. *Consuetudo* refertur ad praecedens adiect. *ferum*, *amor* ad *inhumanum*, *pudor* ad *ingratum.* Talis ordo immutatus, quo postremum primo, primum secundo respondet, a Grammaticis *χιασμὸς* vocatur. Donatus ad h. l. et Cortius ad Sallust. Cat. c. 14. 3.

48. *Scripta sunt in animo* i. e. ita inhaerent animo, ut nunquam eorum obliturus sim. Cic. de Orat. II. 87. *Ut illi non infundere in aures tuas orationem sed in animo videantur inscribere.* Acad. II. 1. *Ut litteris consignamus, quae monumentis mandare volumus, sic ille in animo res insculptas habebat.* Schulting. ad Senec. Controv. I. p. 63.

50. *Accessi, vos semotae.* Omittuntur particulae connectendi, ut festinatio et studium exprimatur, de quo oratorum artificio vid. Longin. de Sublim. Sect. XX.

52. *Quam utiles* i. e. parum utiles. Saepe adiectiva affirmantia, si *quam* illis praeponatur, quasi interrogandi modo negandi vim habent; quod quum viri docti quidam non satis caperent, locum interpolarunt scribendo, *quam illi nunc utraeque res inutiles*, Vid. Rivius et Bentl. ad h. l. Infra IV. 5. 16. *Quam id mihi sit facile atque utile* i. e. difficile et inutile. Liv. VIII. 33. *Quam conveniens* i. e. minus conveniens. Obss. Misc. IV. p. 119.

53. *Res* est res familiaris, patrimonium. Adelph. II. 2. 12. *nunquam rem facies.* Phorm. II. 3. 46. *Si talentum rem reliquisset decem.*

54. *Quod ego te oro.* Vulgo *quod* explicant propter quod, quam ob rem; sed durum est in his formulis ita capere; lenius est intelligere in quo, qua in re, omninoque *quod* et in his et in similibus servit transitioni. Virg. Aen. II. 141. *Quod te per superos oro*, ubi vid. Burmann. Hec. III. 2. 3. *Quod te Aesculapi, et te Salus, ne quid sit huius, oro.* Vid. Ernest. Clav. Cic. v. *quod.*

Ibid. *Dextra* fidei signum apud omnes gentes. Sallust. Iug. c. 10. *Per hanc dextram, per regni fidem moneo obtestorque* ubi vid. Cortius.

Ibid. *Genium tuum.* Vulgo legitur *per ingenium tuum* i. e. per naturam tuam, sed Bentleius legendum docet *per Genium tuum.* Sic Hor. Ep. I. 7. 94. *Quod te per Genium dextramque Deosque penates Obsecro.*

55. *Solitudo* dicitur de illis, qui nullos cognatos vel amicos habent. Cic. pro Domo c. 36. *Deflevi liberorum carissimorum solitudinem.* Vid. Eun. I. 2. 67. Adelph. III. 2. 5. et Rivius ad h. l.

57. *Si* frequens est in obtestationibus, quum causam reddimus, quare quid petamus. Cic. pro Muren. c. 40. *ita orat atque obsecrat, si iniuste neminem laesit, si nullius aures voluntatemve violavit.* Virg. Aen. IV. 317. *Si bene quid de te*

*merui.* Ovid. Met. VIII. 350. *Si te coluique coloque.* Vid. Bentleius ad Hor. Carm. I. 32. 1. Mox *sive* intellig. vel si, ut supra annotavimus.

59. *Morigera* nequitiae vox est. Nam *morigerari*, *morem gerere*, *obsequi* dicitur mulier, quae corporis copiam facit. Plaut. Cas. V. 2. 21. *Satin morigera est?* Mostell. II. 1. 51. *Morigerae tibi erimus ambae.* Vid. Interpretes ad Sueton. Tib. c. 44. et quae diximus ad Timaei Lex. Plat. p. 195.

61. *Bona tibi permitto.* Plus est *permitto*, quam *committo*, quod nonnullae editiones habent. *Permitto* aliquid alterius potestati, *committo* fidei. Cic. pro Fontei. c. 14. *Ut commissus sit fidei, permissus potestati.* De horum verborum discrimine vid. Oudendorp. ad Lucan. VII. 286. et Drakenb. ad Liv. IV. 49. 8.

Ibid. *Tuae mando fidei.* Hoc ex formula dicitur, de qua vid. Brisson. de Form. p. 590.

62. *Hanc mihi in manum dat* i. e. hanc mihi accuratissime commendat. Cic. ad Div. VII. 5. *Totum denique hominem tibi trado de manu, ut aiunt, in manum.* At Donatus respici putat ad nuptias per conventionem in manum, genus nuptiarum apud Romanos usitatum, de quo multa scriptores de nuptiis, imprimis Brissonius et Schultingius ad Ulpiani Fragm. tit. 9. p. 591.

64. *Accerso* cadente Latinitate contra analogiam dici coepit. Ubique igitur scribendum *arcesso*, quod formatur ab *arceo* vel *arcio*, ut ab *incio incesso*, a *capio capesso*, a *facio facesso.* Vid. Manut. ad Cic. Ep. ad Div. VII. 23. Casaub. ad Sueton. Caes. c. 2. et Gesner. in Thes. L. L. v. *accerso.*

65. *Verbum;* suppl. dicas vel facias. Vid. Eun. I. 2. 18.

66. *Ne ad morbum hoc etiam.* Donatus supplet *accedat.*

## ACT. II. SC. I.

1. *Nuptum* est supinum verbi nubere. Vulgo in deterioribus libris legitur, *nuptui dare*, *nuptui collocare*, sed rectius esse *nuptum dare* vel *collocare* egregie docet Drakenborch. ad Liv. I. 49. 9.

2. *E Davo.* Sic legendum, non *de Davo*; nam *de Davo audire* significat, quae de Davo narrantur, audire; in aliis tamen formulis hae praepositiones recte commutantur. Vid. Drakenb. ad Liv. XXXV. 29. 8.

3. *In spe atque timore attentus* i. e. intentus, arrectus, semper inter spem et timorem occupatus.

4. *Cura confectus* i. e. consumtus, maceratus, Cic. ad Att. III. 8. *Meus me moeror quotidianus lacerat et conficit.* ad Div. XIV. 4. *Conficior lacrimis, sic ut ferre non possim.* Vid. Broukhus. ad Tibull. I. 8. 39. Recte Donatus ad Eun. V. 4. 6. hoc verbum proprium dicit gladiatorum, qui adversarium *conficere* dicuntur, quum illum ita vulnerant, ut sanari non possit vel occidat. Cic. Catil. II. 11. *Gladiatori illi confecto et saucio.* Vid. Duker. ad Flor. III. 1. p. 429.

Ibid. *Stupere* dicuntur, qui ita fracti et attoniti iacent, ut sine ullo sensu esse videantur, ut nesciant quid agant. Plaut. Poen. V. 4. 80. *ita stupida sine animo adsto.* Ovid. Trist. I. 3. 11. *Non aliter stupui quam qui Iovis ignibus ictus vivit et est vitae nescius ipse suae.*

5. *Quoniam non potest fieri* e. q. s. Infra IV. 5. 10. eadem sententia dicit *ut quimus, aiunt; quando ut volumus non licet*, ubi vid. Muretus.

7. *Qui* pro ut capiendum. Vid. Andr. prol. v. 6.

Ibid. *Amorem ex animo amoveas* i. e. amorem quasi grave et molestum onus deponas. *Amovere* habet difficultatis significationem. Vid. Gulielm. Quaest. Plaut. c. 6. At Bentleius praefert alteram lectionem a Donato commemoratam *amorem e corde eiicias.* Sic Eun. II. 1. 16. *eiiciunda hercle haec est mollities animi.* Hec. III. 2. 12. *Cura ex corde excessit.*

8. *Libido incendatur* i. e. concitetur, stimuletur. Heaut. II. 3. 126. *Ut illius animum cupidum inopia incenderet.*

9. *Facile omnes* e. q. s. Hanc sententiam e Menandro expressam esse docet Muretus V. L. I. 9. Similes sunt sententiae Aeschyli et Euripidis. Vid. Victorii V. L. XXXVI. 23.

10. *Tu si hic sis.* Plerique interpretes sic exponunt, ut *hic* pronomen sit et Charinus se ipsum gestu manus ostendat.

Ita Heaut. II. 3. 115. *tibi erunt parata verba, huic homini verbera.* Sed verius Bentleius explicat *si fores meo loco*, ut *hic* sit adverbium. Eius interpretationem confirmat similis locus Catonis apud I. Rufin. de Figur. p. 204. *Si vos in eo loco essetis, quid aliud faceretis?*

11. *Omnia experiri* significat nihil praetermittere, nihil intentatum relinquere, quod ad rem efficiendam pertineat. Eun. IV. 7. 19. *Omnia prius experiri quam armis, sapientem decet.* Caes. B. C. II. 31. *Omnia prius experienda arbitror.* Cic. ad Att. I. 3. *feci et expertus sum omnia.* Vid. Cortius ad Sall. Cat. c. 26. 5. Similis formula *omnia facere*, quam explicuimus ad Rut. Lup. p. 54.

13. *Credo, puto, spero* saepe extra nexum orationis ponuntur. Eun. V. 2. 23. *debeam credo isti quidquam furcifero.* Adelph. I. 1. 54. *Credo iam, ut solet, iurgabit.* Vid. Drakenb. ad Liv. IV. 17. 7.

Ibid. *Prodere diem* est proferre, longiorem ducere, prolatare, ut docte explicat Donatus. Liv. XXV. 13. *ob id castigatis ab Hannone, alia prodita dies ad frumentum maiore apparatu petendum.* Vid. Festus v. *prodidisse* et ibi magnus Scaliger; item Io. Rivius ad h. l.

14. *Interea fiet aliquid.* Hac formula utuntur laborantes et optatum difficilis rei exitum sperantes. Plaut. Trucul. II. 4. 15. *mane aliquid fiet.* Infra II. 3. 24. *interea aliquid acciderit boni.*

Ibid. *Id aliquid nihil est. Aliquid* capiendum est in hypocrisi, ut Grammatici loquuntur. Infra II. 2. 13. Plaut. Amph. I. 3. 32. *id actutum diu est.* Ovid. Ep. XVIII. 180. *lacrimas hoc mihi paene movet.*

15. *Adeon ad eum.* Saepe praepositio, cum qua verbum componitur, in regimine repetitur. Drakenb. ad Liv. Praef. §. 11. Ita utrumque usitatum est *adire aliquem* et *adire ad aliquem.* Nep. Them. c. 7. *adire ad magistratus noluit.* Cic. Philip. XIV. 1. *ab eorum aris, ad quas togati adierimus, ad saga sumenda discedere.* Vid. Broukhus. ad Tibull. I. 5. 39. Mox v. 19. *ad te advenio*, ubi vid. Rivius.

Ibid. *Quidni.* Sensus est; quidni ad eum adeas? Nam si tibi sponsam non propter amicitiam cedat, forte ab ea ducenda deterrebitur propterea quod veretur, ne tu amore captus eius moechus fias.

17. *Abin in malam rem.* Comicis usitata formula, qua alicui poenam vel exitium imprecabantur. Phorm. V. 7. 37. *Res mala* saepe est exitium ut Plaut. Merc. III. 4. 30. Trinum. IV. 3. 38.

20. *Copia* est facultas. Eun. prol. v. 21. *sibi ut inspiciundi esset copia.*

22. *Postremum me vides* i. e. nunquam posthac. Curt. V. 12. *Ultimum illum visurus amplectitur.* Vid. Duker. ad Liv. XL. 42. 10.

25. *Numquidnam amplius tibi cum illa fuit?* Honesta circumlocutione quaerit, an rem habuerit cum Philumena, ut Eun. I. 2. 63. *ad virginem animum adiecit. P. etiamne amplius?* Similiter Cicero loquitur Tusc. Disp. III. 18. *si vero aliquid etiam*, intelligit rem veneream. Vid. Interpretes ad Virg. Aen. IV. 318.

27. *Non potes.* Bentleius recte legit *non potest.*

28. *Cordi esse* dicuntur, quae grata sunt et placent. Phorm. V. 3. 17. *quia uterque utrique est cordi.* Liv. XXX. 17. *quidquid aliud fecerit, quod cordi foret Masinissae*, ubi vid. Interpretes.

29. *Proferre* idem est, quod supra *prodere* i. e. in longius tempus differre. Cic. ad Att. XIII. 14. *quodsi laxius volent proferre diem.* Senec. Herc. Fur. v. 190. *Nulli scriptum proferre diem.* Hinc *res prolatae* dicuntur, quum feriari licet, munerum urbanorum vacatione concessa. Cic. pro Mur. c. 13. et ibi Manutius.

30. *Liber homo* est, qui liberali animo et ingenio praeditus est. Cic. de Orat. I. 5. *eruditio libero digna.* Gell. XVIII. 10. *Existimavi omnibus hominibus liberis liberaliterque institutis turpe esse.*

31. *Quum is nihil promereat* i. e. quum is nihil agat, ut de altero bene mereatur. Vid. Donatus ad h. l.

Ibid. *Id gratiae adponi sibi* i. e. id pro beneficio haberi, sibi eo nomine gratias deberi. Argenteae aetatis scriptores dixerunt *id sibi imputari*. Cellar. Cur. Post. p. 56. et 145.

33. *Reddidisti animum* i. e. a desperatione me ad spem vel ad vitam revocasti. Similis formula est, quam alio loco explicabimus, *animus redit*. Bentleius emendat *reduxti animum*, cuius rationes videte.

Ibid. *Hic Byrria* i. e. Byrria, quem praesentem vides: nam pronomen *hic* nominibus propr. additum personam praesentem significat. Adelph. III. 4. 33. Manut. ad Cic. pro Ligar. c. 3.

33. *Optume* i. e. opportune, in tempore. Infra IV. 2. 3. *Optume te mihi offers*. Hec. II. 2. 4. *Phidippum optume video*.

37. *Ego vero ac lubens*. Particula *vero* vehementer affirmat. Eun. III. 5. 43. *Ego illud vero ita feci ac lubens*. Cic. Brut. c. 32. *Nobis vero et vehementer quidem placet*. Drakenb. ad Liv. XLV. 19. 6.

## ACT. II. SCEN. II.

1. *Di boni, Di magni* et simpliciter *Di* frequentes sunt exclamationes admirantium et obtestantium. Eun. II. 1. 19. Duker. ad Flor. II. 6. p. 327.

Ibid. *Portare* proprie est adferre aliquid magnum sive bonum sive malum. Vid. Donat. ad h. l. et Hec. III. 5. 63. et Burmann. ad Petron. c. 124. p. 592.

2. *In metu esse* dicitur pro metuere, ut *in laetitia esse* pro laetari, *in seditione esse* pro in seditione agitare. Vid. Interpr. ad Liv. VIII. 33. 20.

Ibid. *Nihil est*. Elegans formula de iis, quae contemnimus et quorum nullam rationem habemus. Heaut. IV. 2. 9. Adelph. II. 2. 25. Vid. Interpr. ad Phaedr. III. 7. 17.

4. *Paratas nuptias*. *Apparare* nuptias dicitur infra III. 2. 34.

5. *Toto oppido*. Praepositio *in* saepe omittitur. Ovid. Ep. I. 21. *Quisquis erat castris iugulatus Achivis*. Vossius de Construct. c. 46. p. 429.

6. *Quo intendam* sc. ire vel iter vel cursum, quod alii addunt. Sallust. Iug. c. 107. extr. *quo ire intenderant, perventum*, ubi vid. Cortius. Hirt. B. Afr. c. 95. *Iter in Hispaniam intendebant.* Absolute ut h. l. Cic. Cat. I. 12. *si iste quo intendit, in castra Manliana pervenerit.* Vid. Interpr. ad Liv. X. 43. 13.

7. *Resiste* i. e. mane. Phorm. V. 6. 10. *id tibi iam fiet, nisi resistis.* Caes. B. C. II. 35. *saepius appellatus adspexit ac restitit.* Curt. VI. 7. *Cacumina montis intuens restitit.*

Ibid. *Quis homo* pro *quis* ut Hec. III. 4. 17. *cui homini* pro *cui.*

9. *Quin* pro particula adversativa ponitur et idem significat quod immo, potius. Eun. V. 2. 64. *quin tu me servato.* Gronov. ad Liv. XXVII. 49. 9. et Drakenb. ad eund. II. 29. 8.

10. *Quidem hercle certe.* Tres affirmandi particulas iunxit Terentius, ut intenderet affirmationem. Sic etiam Phorm. I. 3. 12. Vid. Rivius ad h. l.

Ibid. *In dubio vita est* i. e. de vita dubitatur, vita est in periculo. Sallust. Cat. c. 52. *Libertas et anima nostra in dubio est*, ubi vid. Cortius. Ovid. Amor. II. 13. 2. *In dubio vitae lassa Corinna iacet.* Sic *res dubiae* dicuntur periculi plenae. Liv. II. 50. *Dubiis rebus populi romani futurum auxilium*, ubi vid. Drakenborchius.

11. *Obtundis* i. e. molestus es eandem rem saepe repetendo. Eun. III. 5. 6. et Heaut. V. 1. 6. Donatus ait locutionem ductam esse a fabris ferrariis, qui incudem repetitis ictibus pulsant.

13. *Me vide* i. e. ego tibi sponsor sum, ego periculum rei in me suscipio. Phorm. IV. 4. 30. et Plaut. Rud. III. 3. 18.

16. *Me prehendit* i. e. me manu vel vestibus comprehensum compellavit vel simpliciter compellavit. Phorm. IV. 3. 15. *Prendo hominem solum.*

20. *Huius Byrriam* suppl. servum, quae vox millies omittitur in inscriptionibus antiquis.

23. *Obsonium* a graec. ὄψον est omnis cibus, qui cum pane comeditur, imprimis pisces. Vid. Vossii Etym.

Ibid. *Ipsus* antique pro ipse; intelligitur Simo herus. Nam servi herum absolute *ipsum* vocabant. Plaut. Cas. IV. 2. 11. *ego eo quo me ipsa misit* i. e. hera. Discipuli etiam magistrum, unde illud Pythagoreorum *αὐτὸς ἔφα*. Casaubon. ad Theophr. Char. c. 3. p. 120. et Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. p. 335.

24. *Ego me continuo ad Chremem* i. e. ego me continuo confero ad Chremetis aedes. *Chremes* duplici modo declinatur *Chremis* et *Chremetis*.

25. *Solitudo* i. e. nulla frequentia hominum, qui spectarent solennem sponsae deductionem in domum.

27. *Matronam nullam;* nempe quae pronuba esset, sponsam ornaret, in lecto collocaret. Festus v. *pronuba* et Donat. ad Eun. III. 5. 45.

28. *Nihil ornati, nihil tumulti* per archaismum dicitur pro *nihil ornatus* et *nihil tumultus*. Vossius de Anal. II. c. 17. p. 241. Ornabantur postes et aliae partes aedium floribus et coronis; discurrebatur cum strepitu per aedes, quod v. *tumulti* significatur; tibicines etiam adhibebantur et hymenaeus cantabatur. Adeph. V. 7. 7.

30. *Accipis* i. e. intelligis, interpretaris. Eun. I. 2. 2. Sic *dare* est docere ut apud Virg. Ecl. I. 19.

31. *Convenire aliquem* est colloquendi causa aliquem adire vel etiam per fortuitum occursum cum aliquo colloqui ut Eun. III. 2. 14. Sed primum non additur, quid Davus cum Chremetis servo locutus sit, deinde non cohaeret constructio, quam frustra expedire tentavit Perizon. ad Sanct. Min. III. 6. 5. p. 425. Nihil igitur commodius Bentleii coniectura pro *conveni* legentis *conspexi*.

Ibid. *Chremis*. Donatus et meliores codd. habent *Chremi*. Nam talia nomina duplici modo declinantur. Heaut. V. 5. 21. *Archonidi*, ut apud alios *Ulyssi*, *Achilli*, *Isocrati*. Vid. Rivius et Bentleius ad h. l.

32. *Pisciculos minutos*. Deminutionem addit deminuto, ut vilitas magis appareat; sic Eun. I. 2. 28. *parvolam puellam*.

Cic. Tusc. Disp. III. 1. *Nunc parvulos nobis dedit igniculos.* Vid. Davis. ad Hirt. B. Afr. c. 27.

Ibid. *In coenam.* Praepositio *in* cum accusativo saepe significat causam et finem rei. Plaut. Trucul. IV. 2. 27. *dedi ei minam in obsonatum.* Propert. III. 2. 35. *Haec hederas legit in thyrsos.* Senec. de Benef. IV. 1. *inveniuntur qui honesta in mercedem colant.* Duker. ad Flor. II. 6. p. 296. Oudendorp. ad Lucan. II. 151.

33. *Nullus* pro *non* ponitur praesertim apud Comicos. Eun. II. 1. 10. *tametsi nullus moneas.* Hec. I. 2. 4. *si non quaeret, nullus dixeris.* Cic. de Off. III. 14. Vid. Rivius ad h. l.

36. *Videre* saepe est providere, curam adhibere. Heaut. IV. 2. 3. *nisi aliquid video.* Cic. ad Att. V. 1. *ut prandium nobis videret.* Liv. XXI. 4. *nulla re, quae agenda videndaque magno futuro duci esset,* ubi vid. Gronovius. Add. Victor. ad Cic. Ep. ad Att. XIV. 21. et Heins. ad Ovid. Art. Am. I. 287.

Ibid. *Ambire* est circumire et proprie dicitur de candidatis, qui populum circumibant, ut sibi suffragia colligerent ad honores consequendos; inde translatum est ad omnes, qui quid summo studio petunt. Sueton. Caes. c. 18. *ambienti, ut legibus solveretur.* Servius ad Aen. IV. 283.

## ACT. II. SC. III.

1. *Quid sibi volt pater* i. e. quodnam patris consilium vel propositum est? Infra II. 6. 26. *quid hic volt veterator sibi?* Propert. I. 5. 3. *Quid tibi vis insane?* Horat. Epod. XII. 1. *Quid tibi vis mulier?* *Sibi* eleganter abundat ut *tibi*, *mihi*, *vobis*, *nobis* aliis locis. Drakenb. ad Sil. Ital. I. 46.

2. *Succensere* proprie est censionem censoris aegre ferre et ideo mussare, aliter post illum censendo. Sic verbi rationem explicat Perizon. ad Sanct. Min. III. 3. p. 381. Inde ponitur pro subirasci, stomachari. Accusativus *id* pendet ab omissa praep. propter, ut Eun. III. 1. 4. *id vero serio triumphat*, et alibi saepe.

4. *Ut sese habeat* i. e. qualis sit. Frequens est locutio *res ita se habet*. Liv. V. 5. *Ut nunc res se habet, irati sunt*, ubi vid. Drakenb. Pro quo etiam omisso pronomine dicitur *res ita habet*. Adelph. III. 3. 10. *Omnem rem modo seni, quo pacto haberet, enarramus ordine*. Drakenb. ad Liv. XXII. 39. 9.

7. *Dictum ac factum* i. e. statim, sine ulla mora. Sine copula Heaut. V. 1. 31. *dictum factum huc abiit*. Haec formula proverbialis, qua celeritas denotatur, expressa est e graec. ἅμα ἔπος ἅμα ἔργον. Vid. Cl. Valckenaer. ad Herodot. III. p. 266. Alii dicunt *dicto citius*. Virg. Aen. I. 142. *dicto citius tumida aequora placat*. Liv. XXIII. 47. *dicto prope citius equum Claudius in viam deiecit*. Vid. Interpretes ad Petron. c. 131.

12. *Ut ab illa excludar* i. e. ut a Glycerii nuptiis repellar. Cic. de Orat. I. 11. *excludi ab omni doctrina rerumque maiorum scientia*.

Ibid. *Huc concludar* i. e. in Philumenae nuptias coniiciar. *Concludi* dicuntur omnes, qui ex difficultatibus expedire se non possunt, quibus exitus non patet. Phorm. V. 1. 17. Hec. IV. 4. 80.

15. *Hic* i. e. quum ita se res habeat, quum res eo loco sit. Cic. Philip. VIII. 4. *Hic mihi etiam Fufius, vir fortis, pacis commoda commemorat*. Id. ad Div. V. 15. *Hic tu ea me abesse urbe miraris*, ubi vid. Manutius.

17. *Sine omni periculo*. Sic Plautus et Terentius loquuntur. Cicero et alii *sine ullo periculo*. Vorstius de Lat. merit. suspect. c. 8.

18. *Nec minueris haec quae facis* i. e. nec mutabis consilium, nec desines facere quae soles, sed quotidie eris cum Glycerio. Hec. IV. 3. 10. *sed non minuam meum consilium* i. e. non discedam a proposito meo.

21. *Quod tu speres propulsabo facile* i. e. spem, qua tu niteris, facile refutabo, inanem esse ostendam. Sperabat autem Pamphilus neminem sibi his moribus praedito sive mere-

triciis amoribus irretito uxorem daturum. *Propulsare* est refellere. Burmann. ad Ovid. Met. I. 759.

Ibid. *His moribus* dicitur pro eo, qui habet hos mores. Sic apud Stat. Silv. V. 2. 107. *tales anni* ponuntur pro persona, quae habet tales annos. Vid. Markland. ad l. l.

24. *Otiosus* i. e. lente, ut non multum festinet.

25. *Inducas* i. e. fallaciis pellicias. Heaut. IV. 4. 1. *me Syri promissa huc induxerunt.* Transfertur verbum a venatione, qua ferae in retia inducuntur. Donat. ad I. 2. 9. et Broukhus. ad Tibull. I. 7. 1.

26. *Cautio est* i. e. cavendum, providendum est. Substantiva verbalia saepe pro gerundiis ponuntur. Adelph. III. 3. 67. *Hi mihi ne corrumpantur cautio est.* Hec. IV. 4. 28. *nulla tibi hic iam consultatio est.* Perizon. ad Sanct. Min. I. 15. p. 144.

27. *Hanc fidem* etc. Constructio est: obsecravit me, ut darem sibi fidem, qui sciret non deserturum se. *Fides* est signum et documentum, quod efficit, ut aliquid verum esse credamus. Propert. IV. 6. 60. *nostri sanguinis ista fides.* Iustin. IX. 1. *Ea primum fides inopiae Scythicae fuit.* Gronov. ad Stat. Theb. II. 417. et Duker. ad Flor. I. 2. p. 36.

Ibid. *Qui sciret* ponitur pro ut sciret. Adelph. V. 8. 27. *huic demus, qui fruatur.* Gronov. ad Liv. I. 43. 9. Pro *deserturum* Bentleius e mss. scribit *desertum iri*, quod alioquin in vulgata lect. desit pronomen *me*. Verum pronomina *me*, *te*, *se*, *nos*, *vos* in tali constructione centies omittuntur. Vid. quae annotavimus ad Rutil. Lup. I. p. 41.

## ACT. II. SC. IV.

1. *Reviso* est redeo, ut videam. Eun. V. 4. 1. Ita *proviso* procedo in publicum, ut videam, infra V. 5. 1. et Adelph. V. 6. 1.

3. *Venit meditatus* i. e. instructus oratione, quam meditatus est. Similis formula est *venis paratus* V. 4. 6. Vid. quae annotavimus ad Rut. Lup. II. p. 86.

Ibid. *Solo loco* i. e. deserto, secreto. Phorm. V. 7. 86. *scelus hinc deportarier in solas terras.* Plaut. Aul. IV. 6. 7. *cogito solum locum.* Nep. Eum. c. 8. *Sin per loca sola contenderet.* Lambin. ad Lucret. IV. 577. Heins. ad Ovid. Epist. X. 129. et Drakenb. ad Sil. Ital. III. 429.

5. *Differre aliquem oratione* significat aliquem oratione in varias partes ferre et ita perturbare, ut quid agat, nesciat: Belgae dicunt *verbluffen.* Plaut. Psend. I. 3. 125. *iam ego te differam dictis meis.* Phorm. I. 4. 35. dicitur *dictis protelare.*

Ibid. *Apud te ut sis* i. e. ut praesenti animo sis et minime perturbatus. Sic infra III. 5. 16. *redire ad se* pro animum recolligere perturbatione erecta.

6. *Modo ut possim* i. e. si modo possim. Phorm. I. 2. 9. *modo ut tacere possis.* Cic. ad Div. VII. 1. *Modo ut tibi constiterit fructus otii tui*, ubi vid. Manutius.

7. *Commutaturum unum esse verbum* i. e. tecum iurgaturum. Phorm. IV. 3. 33. *tria non commutabitis verba hodie inter vos.* *Verbis velitare* dicit Turpilius apud Non. Marc. v. *velitatio*; *verbis certare* Livius X. 19. 5. ubi vid. Gronovius.

ACT. II. SC. V.

1. *Relictis rebus* i. e. posthabitis negotiis omnibus. Eun. I. 2. 86. *ancillulam relictis rebus omnibus quaesivi.* Lucret. III. 1084. *iam rebus quisque relictis Naturam primum studeat cognoscere rerum*, ubi vid. Lambinus. Cic. ad Div. II. 14. *Omnia relinques, si me amabis, quum tua opera Fabius uti volet.* Gronov. ad Liv. XXVIII. 7. 10.

Ibid. *Iussit Pamphilum* e. q. s. Bentleius de coniectura sic legit: *iussit Pamphilum hodie observarem quid ageret de nuptiis* et sequentem versum ut spurium delet. Burmann. ad Sueton. Vespas. c. 23. Bentleianis inventis contradicit et constructionem *me iussit observarem* scabiem vocat; sed Gesnerus defendit et construendi rationem explicat in Thes. L. L. v. *iubeo.*

4. *Adeo.* Vis, quae est in huius particulae usu sane eleganti, vix potest uno verbo explicari, quod in omnia loca con-

veniat, sentiturque facilius, quam exprimitur; interdum significat aliquam consequentiam, interdum explicationi vel narrationi servit.

Ibid. *Hoc agam* i. e. ad hoc attendam. Vid. ad I. 2. 15.

5. *Serva* i. e. observa, quae tibi mandavi, ut apud te sis.

9. *Neque istic* etc. i. e. et in hac et in omnibus aliis rebus tibi morem geram lubentissime.

11. *Cum gratia* i. e. ut non invitus sed lubens facias. Liv. XXIX. 1. 9. *Cum bona gratia* est Phorm. IV. 3. 16. Sic in Leg. 32. §. 11. Pand. de donat. inter vir. et ux. *matrimonium bona gratia dissolutum* dicitur, quod consensu mutuo sine alterius ex coniugibus querela solutum est.

12. *Sum verus* i. e. nonne verum dixi? Proprie vates, qui futuris praedicendis non fallunt, *veri* dicuntur, ut apud Graecos ἀληθεῖς. Ovid. Epist. V. 123. *Ah nimium vates miserae mihi vera fuisti.* Hemsterhusius ad Tim. Lex. p. 82.

Ibid. *Excidere aliqua re* est perdere rem, quam habuimus vel nos habituros speravimus. Liv. Epit. 29. *Masinissa exciderat regno.* Sic apud ICtos *excidere formula* est perdere actionem vel ius cum aliquo agendi in iure. Sueton. Claud. c. 14. et Gronov. ad Senec. Epist. 122.

15. *Verbum* i. e. proverbium, sententia, ut Eun. IV. 5. 6. et alibi.

16. *Omnes melius esse* i. e. felices ac beatos esse. Adelph. I. 1. 9. *et tibi bene esse soli, cum sibi sit male.* Catull. XXIII. 15. *Quare non tibi sit bene ac beate*, pro quo in eodem carm. v. 5. dicit *est pulcre tibi*, ut Horat. Serm. II. 8. 19. *pulcre fuerit tibi.* Vid. Bentleius ad h. l.

18. *Memini* fere cum infinitivo praes. construitur, ne duo praeterita concurrant. Nec tamen desunt exempla, ubi cum infinitivo praet. iungitur. Sanct. Min. I. 14. p. 109. sq. et Drakenb. ad Liv. XXXVI. 34. 3.

Ibid. *Quo* i. e. quare, quapropter. Adelph. IV. 5. 46. *quo magis quae agis curae sunt mihi.* Cic. ad Div. V. 12. *Quo mihi acciderit optatius*, ubi vid. Manutius.

19. *Somnus* aliquando pro nocte ponitur, ut apud Virg. Georg. I. 208. ubi vid. Servium; contra *nox* aliquando pro somno. D. Heinsius ad Sil. Ital. III. 200.

Ibid. *Amplecti*. Honesto vocabulo rem veneream exprimit. Ovid. Met. IV. 184. *In mediis ambo deprensi amplexibus haerent*. Petron. c. 126. Drakenb. ad Sil. Ital. XI. 399.

20. *Malum* i. e. poena, ut verbera etc. Eun. IV. 4. 45. *non potest sine malo fateri*. Liv. IV. 49. *sicut servis malum minantem militibus*. Gronov. ad Senec. de Ira I. 16.

## ACT. II. SC. VI.

3. *Aeque quicquam nunc quidem* i. e. nihil. Sic explicandum esse contextus docet. Est autem elliptica loquendi formula, quam ita supplet Perizon. ad Sanct. Min. I. 13. p. 91. *Nunc quidem aeque quicquam narro ac narro tunc, cum nihil narro*.

5. *Hoc male habet virum* i. e. hoc illi molestum est. Infra V. 4. 37. *Scrupulus etiam restat, qui me male habet*. Hec. IV. 2. 30. *haec res non minus me male habet quam te*.

6. *Potin es* vel *potisne* habet vim obsecrandi, ut Eun. I. 2. 21. Plenum *potis sum* contrahitur in possum, *potis es* in potes, *potis est* in potest etc. Vossius de Anal. II. 21. p. 249.

10. *Nosti*. Hac formula significatur, nos multa compendifacere. Eun. III. 1. 15. et Donatus ad h. l.

11. *Recta reputavit via* i. e. in reputando non erravit. *Recte reputare* dixit Iustin II. 15.

14. *Virum fortem* i. e. virum honestum, bonum; nam Veteres, ut Festus auctor est, *fortem* dicebant frugi et bonum, ubi vid. Scaliger. Phorm. II. 2. 10. *O vir fortis atque amicus*. Plaut. Trin. V. 2. 9. *Sororem despondisse in tam fortem familiam*.

17. *Est quod succenset* i. e. habet causam succensendi. Hec. II. 2. 31. *est quod me transire ad forum iam oportet*. Locutio sic est supplenda: est aliquid propter quod succenset. Vossius de Anal. IV. 18. p. 352.

22. *Vocabo* i. e. invitabo. Sic *vocationes* pro invitationibus ad coenam apud Catull. XLVIII. 7. et *servi vocatores*, qui homines ad convivium invitant, apud Sueton. Calig. c. 39.

Ibid. *Aequalium* i. e. eiusdem aetatis hominum, quos barbari dicunt *coaequales*. Heaut. III. 1. 8. Graevius ad Iustin. XXXVII. 4.

26. *Veterator* proprie est servus veteranus; qui quum versutior esse soleat novitio, *veterator* dictus est quilibet astutus et fallendi arte exercitatus. Festus s. v. et Lindenbrog. ad h. l.

27. *Illic est huic rei caput* i. e. ille est huius rei auctor. Cum dativo etiam est Adelph. IV. 2. 29. *sentit te esse huic rei caput*; cum genitivo apud alios. Cic. pro Flacc. c. 18. *Caput est omnium Graecorum concitandorum.* Cortius ad Porc. Latron. Declam. in Catil. p. 1093. *Illic* antique dicitur pro *ille*. Vid. Bentleius ad h. l.

## ACT. III. SC. I.

3. *Ancilla ab Andria* i. e. ancilla Andriae vel ex eius aedibus veniens. Infra IV. 1. 58. *concrepuit a Glycerio ostium* i. e. Glycerii. Buchner. de commutata dicendi rat. p. 327. et Perizon. ad Sanct. Minerv. III. 4. p. 404.

4. *Firmavit fidem* i. e. documentis rem certam fecit; nam tolli infantem iusserat, quod erat pignus fidei. Liv. VII. 14. *Adfirmata certe apud dictatorem fides est.* Vid. Duker. ad Liv. XXIII. 34. 2.

7. *Actum est*, desperantium formula. Eun. I. 1. 9. Adelph. III. 2. 27. et Donat. ad h. l.

Ibid. *Praedicat* i. e. dicit, narrat. Eo sensu frequens est apud Comicos.

10. *Quid hoc* sc. rei est, ut supplet Donatus.

15. *Iuno Lucina fer opem* est vox conflictantium partus doloribus et Dianae opem invocantium, quae sub Iunonis Lucinae nomine partui praeesse putabatur. Adelph. III. 4. 41. et

Horat. Carm. Saecul. v. 13. De formula *serva me* vid. Brisson. de Form. I. p. 69.

17. *Commode* i. e. apte, perite, scienter. Heaut. Prol. v. 14. *Quantum ille potuit cogitare commode.* Hec. I. 2. 33. *Nunquam tam dices commode.*

18. *Temporibus res dividere* est ita describere, ut suo quaeque tempore geratur. Iustin. Praefat. §. 3. *ea omnia Pompeius divisa temporibus et serie rerum digesta composuit.* Translatum est verbum a scena, ubi omnia actibus, personis et temporibus distinguuntur. Heinsius ad Vell. Paterc. I. 14.

19. *Num immemores discipuli* i. e. num Mysis, Lesbia, Glycerium, Pamphilus obliti sunt praeceptorum tuorum, nec partes ita agunt, ut illos docuisti. Etiam haec loquendi ratio a scena ducta est; nam poetae est *docere*, histrionum *discere fabulam.* Hec. Prol. alt. 10. et 48. ibique Interpretes.

21. *Quos mihi ludos.* Bentleius corrigit egregie *quos me ludos redderet.* *Reddere* est facere ut Adelph. IV. 1. 18. *tam placidum quam ovem reddo.* *Ludos aliquem reddere* significat omnium ludibrio aliquem exponere. Plaut. Aulul. II. 2. 75. *quem senecta aetate ludos facias.* Idem Bacch. V. 1. 4. *pudet hocine me aetatis ludos bis factum esse indigne.* Duker. ad Sueton. Domit. c. 4.

22. *In portu navigo* i. e. extra periculum sum. Plaut. Mercat. IV. 7. 48. *res est in portu.* Vid. Erasmi Adag. p. 41.

## ACT. III. SC. II.

2. *Signa ad salutem* i. e. signa salutaria, quae salutem promittant. Heaut. I. 2. 33. *ea sunt ad virtutem omnia* i. e. ad virtutem apta vel idonea. Caes. B. C. III. 101. *reliquis rebus, quae sunt ad incendia.*

3. *Lavet* i. e. lavetur. *Lavare* saepe per ellipsin pronominis eadem significatione dicitur, qua *lavari.* Vossius de Anal. III. 3. p. 273.

Ibid. *Post deinde.* Haec adverbia aliquando per pleonasmum iunguntur. Cic. ad Att. II. 23.

4. *Iubere* et *imperare* proprie dicuntur medici, quum remedia praescribunt. Ovid. Epist. XX. 133. *medicorum iussa*, Petron. c. 56. *mihi iubent saepe anatinam parari*, ubi vid. Burmannus. Obstetrices medicorum officio fungebantur apud puerperas. Vid. Leg. I. §. 2. Pand. de extraord. cogn.

Ibid. *Dare bibere* pro dare potum; infinit. pro substantivo. Plaut. Pers. V. 2. 40. *bibere da.* Cic. Tusc. Disp. I. 26. *ut Iovi bibere ministraret.* Gronovius ad Liv. XXXVII. 33. 5. et Donatus ad h. l.

6. *Per Castor scitus.* *Per* coniungendum est per tmesin cum *scitus*, ut sit *perscitus* i. e. valde pulcher. Phorm. I. 2. 60. *Satis scita est.* Vid. Festus v. *scita facie.* De illa autem tmesi vid. Bentleius ad II. 6. 24.

7. *Sit superstes* sc. patri. Usitata formula bene precandi recens natis. Adelph. III. 1. 11. *salvus nobis, Deos quaeso, ut siet.* Piorum etiam parentum votum erat, ut liberi probi sibi essent superstites. Heaut. V. 4. 7. *Ita mihi atque huic sis superstes.* Contrarium si accidit, Papinianus Leg. 15. §. 2. de inoff. test. dicit, mortalitatis ordinem esse turbatum.

8. *Quumque.* Saepe Veteres particula *quum* utuntur, ubi vulgus *quod* ponit. Adelph. V. 6. 9. *Bonus es quum haec existimas.* Gronov. ad Stat. Theb. II. 417.

12. *Tandem* in interrogationibus habet vim vehementius instandi. Phorm. II. 1. 1. *Itane tandem uxorem duxit Antipho?* Ibid. II. 3. 26. *Ain tandem?* Drakenborch. ad Liv. III. 9. 9.

13. *Fallere incipias* i. e. fallas. Saepe utriusque linguae scriptores verbis incipiendi, adgrediendi, conandi, non molitionem rei, sed rem factam indicant. Catull. LXXXII. 2. *quem tu diligere inciperes* i. e., ut bene explicat Scaliger, quem tu diligeres. Caes. B. G. VII. 57. *nostros transitu prohibere instituit* i. e. prohibuit. Infra V. 1. 2. *Satis pericli coepi adire* i. e. adii. Isaac. Casaubon. ad Luc. Ev. I. 1. et I. Markland. Remarks on the Epistles of Cicero to Brutus etc. p. 28.

15. *Se ipsus.* Notandum est pronomen *ipse* aliis pronominibus adiunctum plerumque in alio casu et fere in nominativo poni. Immo Graevius ad Cic. de Off. III. 15. scribit, eos, qui utrumque pronomen eodem casu ponant, corrupte loqui. Alii tamen utramque loquendi formam probant ut Manut. ad Cic. Ep. ad Div. VII. 1. De hac re eleganter more suo disputat Duker. ad Flor. III. 18. p. 583. sq.

Ibid. *Edicere* est verbum eorum, qui imperandi potestatem habent, unde *edicta* vocantur eorum iussa. Hec. IV. 1. 50. *edicam servis ne quoquam efferri sinant.* Vid. Bentlei. ad I. 2. 33.

16. *Quid retulit* i. e. quid profuit, quem fructum inde cepi. Phorm. IV. 3. 41. *parvi retulit non suscepisse.* Plaut. Epid. I. 2. 30. *quid retulit mihi tantopere te mandare.* Heins. ad Ovid. Epist. VI. 137.

18. *Habere* aliquis dicitur quod ingenio suo invenit. Vid. Donat. ad Eun. III. 2. 22. et Burmann. ad Phaedr. IV. 1. 2.

23. *Enim* hic abundat ut Adelph. IV. 5. 22. Virg. Georg. III. 70. ibique Servius.

25. *Nihil iam muttire audeo* i. e. ne *mu* quidem dicere audeo. *Mu* est ille sonus, quem solum muti edere possunt. Varro de L. L. VI. 5. Hec. V. 4. 26. *neque opus est adeo muttito.* Hinc duplex frequentativum *mussare* et *mutitare*, quod significat occulte et suppressa voce proferre, quod celatum velis. Liv. VII. 25. *mussantesque inter se rogitabant*, ubi vid. Drakenb. Adelph. II. 1. 53. *accipienda et mussitanda iniuria est* i. e. tacite ferenda et dissimulanda.

26. *Neminem.* Notandum *neminem* feminino genere poni. Sic Plaut. Cas. II. 2. 12. *vicinam neminem amo merito magis quam te.* Sic *homo* femin. genere ponitur in Sulpicii ad Cic. Ep. IV. 4. *quoniam homo nata fuerat.* Vossius de Anal. I. 15. p. 135. et Bentlei. ad II. 2. 27.

27. *Nihilo secius* i. e. neque eo minus. Nep. Milt. c. 2. *neque eo secius Atheniensibus officia praestabat.* Duker. ad Flor. III. 17. p. 577. Ceterum *nihilo secius* et *nihilo segnius* perpetuo confunduntur, quae sic discernenda sunt, ut, ubi de

studio et alacritate sermo est, *nihilo segnius* locum habeat, in ceteris *nihilo secius*. De hoc discrimine vid. Heinsius ad Ovid. Met. II. 809. et ad Virg. Aen. IX. 441. Oudendorp. ad Caes. B. C. II. 8.

28. *Ut sis sciens* graeco more, quem apud optimos quosque scriptores Latinos invenimus, dicitur pro ut scias. Plaut. Curc. II. 3. 13. *quos semper videas bibentes esse*. Cic. de Div. I. 25. *Est apud Platonem Socrates dicens*. Manil. V. 388. *Has erit et similes tribuens Olor aureus artes*. Buchner. de commut. ratione dicendi p. 323. et Interpretes ad Auct. Bell. Hisp. c. 29. Terentium imitatur Lactant. III. 5.

30. *Opinionem hanc tuam* i. e. tibi suspiciosissimo seni propriam. Est igitur emphasis in pronom. *tuam*. His autem possessivis non utendum est, nisi ubi sententiae pondus addant.

36. *Nihil moventur nuptiae* Donatus interpretatur: non differuntur nuptiae. Sic infra IV. 2. 28. *Quantum huic promoveo nuptias* i. e. efficio, ut differantur. Melius autem est exponere: nihil eorum, quae ad nuptias pertinent, mutatur. Nam *moveri* dicuntur, quae non manent firma, quae mutantur. Cic. Philip. I. 7. *Sed ea non muto, non moveo*. Liv. XXV. 16. *nulla providentia fatum imminens moveri potuit*.

40. *Misere* est valde, vehementer, quod frequens est hac notione apud Comicos. Heaut. I. 2. 16. Adelph. IV. 1. 6.

45. *Haud scio an* hic dubitandi significatione dicitur, sed plerumque in specie dubitationis affirmandi significationem habet. Cic. de Off. III. 2. *Quod cum omnibus est faciendum, tum haud scio an nemini potius quam tibi* i. e. fortasse tibi imprimis. Duker. ad Flor. III. 12. p. 546.

49. *Quid alias*. Ipsi veteres Grammatici in h. l. *alias* capiunt pro *aliter;* sed aureae aetatis scriptores semper dicunt *alias*, ubi explendum est *horas*, pro alio tempore, *aliter* pro alio modo. Graevius ad Sueton. Tib. c. 71. et Drakenb. ad Liv. XXI. 56. 2. Verum praestat cum Bentleio legere *quando alias malim has quam hodie fieri nuptias* i. e. quo alio tempore malim has nuptias fieri, quam hodie, ut simulatum fuit.

52. *In ipso tempore* i. e. maxime opportuno tempore. Saepe *tempus* simpliciter est tempus opportunum. Cic. Ep. ad Quint. Fr. I. 2. *Sed tempore ipso.* Virg. Aen. IV. 423. *Sola viri mollis aditus et tempora noras.* Heaut. II. 3. 123. *in tempore ad eam veni.* Graevius ad Cic. de Off. I. 40.

## ACT. III, SC. III.

1. *Iubeo Chremetem* suppl. salvere, ut Adelph. III. 4. 14. *Salvere Hegionem plurimum iubeo*, ubi Donatus annotat *iubere* in hac formula significare vehementer velle, cupere.

Ibid. *Optato* adverbialiter ut *auspicato* infra IV. 5. 12.

2. *Me adiere.* Gronovius ad Plaut. Truc. II. 6. 21. ex mss. legit *ad me adiere;* de qua repetitione praepositionis vid. not. ad II. 1. 15.

4. *Ausculta paucis.* Sic potius legendum, quam *ausculta pauca.* *Paucis* Bentleius iungit cum *scies*, locum sic interpungens: *ausculta; paucis et quid te ego velim et quod tu quaeris, scies.* *Paucis* etiam iungitur cum *ausculta* Adelph. V. 3. 20.

6. *Per te Deos oro.* Eleganter Latini in precandi et obtestandi formulis inter praepositionem *per* et casum, quem regit, aliud vocabulum interponunt, imprimis vocab. *ego*, *vos*, in quo imitantur Graecos, qui πρὸς a casu suo distinguunt interposito pronomine. Plaut. Bacch. IV. 8. 64. *per te, here, obsecro Deos immortales.* Tibull. IV. 5. 6. *per te dulcissima furta Perque tuos oculos per Geniumque rogo*, ubi vid. Broukhusius. Liv. XXIII. 9. *Per ego te, fili, quaecunque iura liberos iungunt parentibus, precor quaesoque.* Vid. quae annotavimus ad Iul. Rufinian. p. 209. Aliquando in his formulis reticetur *oro* vel *rogo*, ut apud Lucan. X. 370. *per te quod fecimus una*, ubi vid. Oudendorpius. Recte vero Bentleius edidit *per te ego Deos oro.* Nam pronomen *ego* vim addit orationi. Supra I. 5. 54. *Quod ego per hanc dextram oro.*

7. *Accrevit* i. e. aucta est. Nep. Att. c. 10. *Cum eo adeo coniuncte vixit, ut ad extremam aetatem amicitia eorum creverit.*

12. *Quasi hoc te orando* i. e. non te oportet orando id a me impetrare. Nam *quasi* saepe negandi vim habet. Infra V. 3. 19. *quasi tu huius indigeas patris* i. e. non indiges huius patris.

13. *Alium esse censes nunc me atque olim.* Barbare et inquinate loquentes dicerent *alium quam.* Sed notandum est apud optimos quosque scriptores post *alius* sequi *atque*, *ac*; nunquam iungi solere *quam*, nisi negativae particulae *non*, *nihil* vel similes cum *alius* iunctae praecedant. Burmann. ad Petron. c. 86. p. 421.

14. *Si in rem est* i. e. si utile est. Hec. II. 2. 7. *magis in rem et nostram et vestram id esset.* Sallust. Cat. c. 20. *in rem fore credens universos adpellare.* Eodem sensu dicitur *ex re esse.* Phorm. V. 7. 76. Contrarium est *contra rem esse.* Cic. ad Div. V. 20. *nihil eum fecisse scientem, quod esset contra aut rem aut existimationem tuam.*

Ibid. *Arcessi iube* sc. filiam meam. Illa enim ex aedibus patris solenniter ducenda erat in aedes sponsi.

16. *In commune ut consulas* i. e. ut consilium capias quod communiter utrique utile sit. Pompon. Mel. I. 8. *Dispersi nihil in commune consultant.* Dicitur etiam *consulere in medium.* Liv. XXIV. 22. *Postquam animadvertit undique consuli in medium*, ubi vid. Drakenb. Lucan. V. 46. *Consulite in medium patres.*

17. *Pamphilique ego sim pater.* Recte Bentleius praefert mss. lectionem *Pamphiloque ego sim pater.* Nam dativus saepe pro genitivo ponitur. Infra IV. 5. 14. *ei dicta est esse haec atque habita est soror.* Heaut. II, 3. 29. *Dicta est mater esse ei.* Vid. Burmannus ad Claudian. Eidyll. I. 24. et quae annotavimus ad Rutil. Lup. p. 38.

18. *Itaque* ponitur pro et ita. Cic. Divin. in Caecil. c. 1. *Quum Quaestor in Sicilia fuissem, iudices, itaque ex ea provincia decessissem.* Liv. I. 4. *Ita geniti itaque educati.* Eodem modo dicitur *utique* pro et uti, *ubique* pro et ubi, *neque* pro et ne. Drakenb. ad Liv. III. 30. 7.

20. *Irae.* Saepe amantium rixae et discordiae *irae* dicuntur. Plaut. Amph. III. 2. 60. *irae si quae forte eveniunt.* Virg. Ecl. II. 14. *tristes Amaryllidis iras.*

Ibid. *Audio* i. e. non credo. Vid. Phorm. V. 7. 54. Mox v. 21. eodem sensu dicit *fabulae.* Vid. Bentleius ad h. l. Alibi *audio* est concedentis aliquid adversario, et idem valet quod *esto, ita sit.* Eun. II. 3. 80. et Cic. pro Rosc. Amer. c. 18.

23. *Amoris integratio* i. e. renovatio, instauratio. In nonnullis edd. legitur *redintegratio* repugnante metro. Vid. Bentleius ad h. l. Sententia expressa est ex Plaut. Amphit. III. 2. 60. Victorius V. L. IV. 14.

24. *Ut ante eamus* i. e. ut occurramus, ut obviam eamus.

25. *Occlusa est* i. e. quasi vincta tenetur ne erumpere possit.

29. *Coniugium liberale* dicit, quum uxor liberalis ingenii ducitur, qualem describit Hec. I. 2. 89. *Haec ita uti liberali esse ingenio decet, pudens, modesta.*

Ibid. *Devinctum* i. e. captum. Hec. I. 2. 93. *animus uxoris misericordia devinctus.* Cic. ad Div. XV. 4. *studiis atque artibus a pueritia dediti ac devincti.*

Ibid. *Chreme.* De hoc vocativo vid. Vossius de Anal. II. 3. p. 211.

30. *Emergere* proprie dicuntur, qui aqua mersi eluctantur et evadunt, unde pulcrae nascuntur translationes. Dicitur v. c. de eo, qui ex obscuro loco ad illustriorem pervenit, aut ex infelice fit felix, aut a vitae pravitate se recipit ad bonam frugem, ut h. l. Cic. pro Coel. c. 31. *ex eo emersit totumque se eiecit atque extulit.* Vid. Interpretes ad Flor. III. 10. p. 533. Proprie autem *emergere* sicut simplex *mergere* activum est et cum accusativo construitur. Nep. Att. c. 11. *quibus ex malis ut se emerserat.* Rivius ad h. l. Heinsius ad Ovid. Fast. III. 399. et Drakenb. ad Sil. Ital. VII. 413.

33. *Nisi periclum feceris* i. e. nisi experiaris. *Periculum* proprie est specimen quod fit experiendarum virium causa. Vid. Donatus ad h. l. Hirtius B. Afr. c. 33. *non ausus periculum suorum facere* ubi vid. Oudendorpius. Iam quoniam a

tali experimento pendet bonus vel malus eventus, *periculum* etiam de ancipiti discrimine dici coepit.

35. *Incommoditas huc omnis redit* i. e. haec summa est omnium calamitatum. *Incommoditas* est calamitas. Sic Cic. pro leg. Manil. c. 12. cladem exercitus *incommodum* vocat. *Huc redire* eodem sensu est Eun. I. 2. 78. *nempe omnia haec nunc verba huc redeunt denique.*

36. *Quod di prohibeant.* Solennis abominantium formula, de qua vid. Brisson. de Form. I. p. 85.

38. *Amico filium restitueris* i. e. feceris, ut eum qui degeneravit pro filio agnoscere possim. Heaut III. 1. 85. *dum id quaero tibi qui filium restituerem.* Cic. ad Div. III. 12. *Restitueris* ponitur pro restitues, futur. subiunct. pro futur. indicativi. Adelph. I. 2. 47. *si pergis, abiero.* Virg. Georg. II. 51. *Exuerint silvestrem animum.*

39. *Invenire* virum, uxorem, liberos eleganter dicitur pro nancisci. Infra V. 3. 20. *domus, uxor, liberi inventi.* Sueton. Calig. c. 25. *Matrimonium sibi repertum exemplo Romuli et Augusti.*

40. *Quid istic* est concedentis et de sententia decedentis formula. Eun. II. 3. 96. Heaut. V. 5. 9. et Donat. h. l.

Ibid. *Animum inducere* et *inducere in animum* est sibi persuadere, apud animum constituere. Eun. III. 2. 37. *qui huic assentari animum induxeris.* Sallust. Catil. c. 54. *Caesar in animum induxerat laborare.* Liv. I. 17. *nemo alteri concedere in animum inducebat*, ubi vid. Drakenborchius.

41. *Claudi* est non patere, occlusum esse. Eun. I. 2. 84. *meam benignitatem sensisti in te claudier.* Cic. de Off. II. 15. *nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit.* Alii utroque Terentii loco corrigunt *caudere*, quod ab antiquis pro *claudicare* dictum esse docet Gronov. ad Liv. XXII. 39. 3. add. Davisius ad Cic. Tusc. Disp. V. 8. quanquam exempla, quibus verbum firmatur, dubia sunt et e locis corruptis petita. Vid. Burmann. ad Ovid. ex Pont. III. 1. 86. Praeterea difficultas est in verbis *in me;* eam vero e-

gregie tollit magnus Bentleius in utroque Terentii loco legens *intercludier*.

44. *Intimus est eorum consiliis* i. e. omnia eorum arcana consilia novit. Eun. I. 2. 47. *tute scis quam intimum habeam te et mea consilia ut tibi credam omnia.*

## ACT. III. SC. IV.

2. *Advesperascit.* Sponsa non nisi ingruente vespera in sponsi domum ducebatur, praeeuntibus pueris, qui faces gestarent.

3. *Ego.* Bene Donatus ad h. l. ait: *semper gravis inceptio orationis, quae exordium sumit a pronomine e g o.* Liv. XXI. 3. *ego istum iuvenem domi tenendum censeo*, ubi vid. Drakenborchius.

4. *Vulgus servorum.* Sic Hec. IV. 2. 24. *vulgus mulierum.*

7. *Habeo tibi fidem.* Ita optimus quisque Veterum loquitur, pro quo barbari nunc dicunt *adhibeo tibi fidem*, quod longe aliud est apud Veteres. Nam *adhibere fidem* dicitur, qui cum fide in aliqua re versatur, qui fideliter rem tractat, *habere fidem*, qui credit, pro quo poetae *addere fidem* dicunt. Ovid. Met. XV. 361. *Si qua fides rebus tamen est addenda probatis*, ubi vid. Burmannus, qui tamen male eo trahit Liv. I. 16. *Consilio unius hominis addita rei dicitur fides*, nam ibi *addere fidem* significat facere, efficere, ut quid credatur. Vid. Drakenb. ad Liv. II. 24. 6.

9. *Vos ut pertentarem* i. e. penitus explorarem, quae vestra consilia essent. Phorm. IV. 3. 14. *Ut eius tentarem sententiam*, pro quo saepe dicunt *experiri*. Sueton. Tiber. c. 14. *Thrasyllum mathematicum, quem ut sapientiae professorem contubernio admoverat, tunc maxime expertus est.*

14. *Per hunc nulla mora est* i. e. hic nihil nuptias moratur. Supra I. 1. 139. *in Pamphilo ut nihil sit morae.*

15. *Ut apparentur* sc. nuptiae; sed nuptiae apparandae erant in domo Simonis, non Chremis. Bentleius igitur legit *ut apparetur*, quod impersonaliter occurrit, ut Eun. III. 5. 35.

Ibid. *Ibo atque renuntio.* Iunguntur praesens et futurum, ut saepe. Vid. Burmann. ad Lucan. I. 316.

17. *Eniti* proprie dicitur, qui in altum ascendere conatur; vid. Bentleius ad Horat. Carm. III. 3. 10. deinde qui summo studio aliquid efficere conatur. Heaut. V. 4. 15. *ego quod potero enitar sedulo.*

18. *Irritatus est* i. e. ira commotus est ut Phorm. V. 7. 39.

19. *Quiescas* i. e. quietus esto, securus sis. Phorm. IV. 3. 65. *quaeso, ego dabo, quiesce*, et IV. 5. 1. *quietus esto, inquam.*

Ibid. *Mirum ni* i. e. sine dubio, nimirum. Eun. II. 3. 53. *Mirum ni hanc dicit.* Ovid. Met. VII. 12. *mirumque, nisi hoc est*, ubi vid. Interpretes; add. Bentleius ad Horat. Serm. II. 1. 55.

21. *Nullus sum* i. e. perii funditus; comica desperationis formula, quae etiam apud alios occurrit. Ovid. Met. IX. 734. *Vellem nulla forem.* Liv. VI. 18. *ubi visum inimicis est, nullus repente fui*, ubi vid. Interpretes.

Ibid. *Proficiscar.* Non semper hoc verbum de longinquo itinere dicitur, sed saepe simpliciter est *prodire, ire aliquo*, etiamsi non sit longius quam ad proximas aedes. Vid. Eun. II. 2. 49. et Plaut. Aulul. I. 2. 40.

22. *Nihil est preci loci relictum* h. e. ita me gessi, ut precibus nihil proficere posse videar. Vid. Manut. in Cic. ad Div. I. 1.

24. *Insperante hoc* i. e. sene, Pamphilo invito. Vid. Muretus ad h. l. *Insperante* pro non sperante rarius est. Eiusdem generis alia sunt aeque rara, *indicens* pro non dicens, *inficiens* pro non faciens, *intritus* pro non tritus, *innotitia* pro ignorantia, de quibus praeclare Gronov. ad Liv. XXII. 39. 2.

27. *Praecipitem darem.* Solenne in comoediis desperatorum perfugium est *praecipitium*, in tragoediis *laqueus* et *gladius*, ut eleganter docet Donatus ad h. l. Petron. c. 94. *si te non invenissem, periturus per praecipitia fui.*

ACT. III. SC. V.

1. *Scelus qui.* Non ad verbum, sed ad intellectum qui retulit. Eun. II. 3. 11. *Senium, qui me hodie remoratus est.* Cic. ad Div. I. 9. *Illa furia muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam Deam.* Plura huius syntaxis exempla collegerunt Interpretes ad Liv. XXIX. 12. 4.

2. *Iners* i. e. stupidus, cui opponitur *solers.*

Ibid. *Nulli consili.* *Nulli* antique pro *nullius.* Vid. Cortius ad Sallust. Cat. c. 29. 3. *Nullius consilii esse* significat imprudentem esse. Nep. Dat. c. 1. *Venio nunc ad fortissimum virum maximique consilii* i. e. prudentissimum.

3. *Futilis* proprie est, qui quae tacenda sunt, continere non potest, sed temere enuntiat, sicut Veteres *vas futile* dicebant, quod infusa statim effundit; deinde *futilis* dicitur homo vanus, levis. Vid. Donatus ad h. l.

4. *Pretium* saepe in bonam partem sumitur pro praemium, saepe in malam pro poena. Ovid. Epist. IV. 148. *Perfidiae pretio, qua nece, dignus eras,* ubi vid. Heinsius. Iuven. Sat. XIII. 105. *Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema.* Similiter *merces*, ut graec. μισθός, pro poena dicitur. Cic. ad Div. I. 9. *non ita magna mercede cognoscere.*

Ibid. *Inultum nunquam id auferet* i. e. propter id factum a me punietur; ut contra quis *impunitum ferre* item *tacitum ferre* dicitur, cui nemo reclamat et obmurmurat. Vid. Rivius ad h. l. et Gronov. ad Liv. I. 50. 9.

8. *Quid me faciam.* Ablativus *me* pendet ab omissa praepositione *de*, quae additur sequenti versu. Tribus modis dicitur *quid me faciam*, *quid de me faciam*, *quid mihi faciam.* Gronov. ad Liv. XXVII. 16. 8.

9. *Ut huic malo producam moram* i. e. ut hoc malum differam; infra IV. 1. 24. *nisi me lactasses amantem et falsa spe produceres.*

11. *Impeditum esse* i. e. implicitum esse et quasi in pedicas coniectum, ut bene explicat Donatus. Hec. III. 1. 17. *Vix me illinc abstraxi atque impeditum in eo expedivi animum meum.* Ex hac proprietate *impedimenta* in exercitu sunt vasa

et necessaria, quibus miles oneratur; *expeditus* enim miles e castris mittitur sine sarcinis et impedimentis.

12. *Tibi ut credam*, suppl. vis, postulas vel simile verbum. Sic saepe *ut* per interrogationem et cum ellipsi ponitur. Supra I. 5. 28. *Eine ego ut adverser.* Horat. Serm. II. 5. 18. *Utne tegam spurco Damae latus.* Vid. Interpretes ad Liv. IV. 2. 12. et Perizon. ad Sanct. Min. I. 13. p. 93.

Ibid. *Furcifer* est servus nequam et dignus, qui furcam sive crucem ignominiae causa ferat. Vid. Donatus ad h. l. Frequens apud Comicos convicium.

16. *Ad me redeam* i. e. ut animum recipiam ex perturbatione. Adelph. V. 3. 8. *reprime iracundiam atque ad te redi.* Huic formulae contraria est *exire a se.* Petron. c. 90. *quotiescunque coeperis a te exire*, ubi vid. Interpretes; item *non esse apud se*, ut supra II. 4. 5.

Ibid. *Dispicere* proprie dicitur, qui oculorum aciem intendit ad videndum, ut facere solent, qui ex tenebris attollunt oculos et lumen requirunt. Hinc transfertur ad mentem, quam in omnes negotiorum partes dimittimus. Cic. ad Attic. II. 20. *si dispicere quid coepero*; idem ad Quint. Fratr. I. 3. Vid. Burmann. in Misc. Obss. VII. p. 280. et Ernest. Clav. Cic. v. *dispicere*.

18. *Praecavere.* Mente supplendum iubet vel monet. Nam *sinit* pertinet ad *ulcisci* nec iungi potest cum *praecavere.* Saepe veteres scriptores duobus substantivis unum adiungunt verbum iisdem respondens, quod tamen alterutri pro se posito minus convenit. Cic. ad Att. X. 4. *Horum ego imperatorum non modo res gestas antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur;* ubi *conflictati* non potest iungi cum *florentissima fortuna.* Nam *uti florentissima fortuna* dicimus. Catull. LXIV. 102. *Aut mortem oppeteret Theseus, aut praemia laudis*, ubi vid. Passeratium. Florus IV. 12. 37. *aliis oculos, aliis manus amputabant.* Apul. Met. IV. p. 244. Oud. *Non fusti sed machaera perfossus*, ubi librarii hac ratione loquendi offensi substituerunt *percussus;* immo aliquando unum verbum duobus respondet, ita ut

non vicinam, sed plane contrariam significationem habeat v. c. ut in altera pericope valeat *iubere*, in altera *vetare*. Cic. de N. D. I. 25. *Negat esse corpus Deorum, sed tanquam corpus; nec sanguinem, sed tanquam sanguinem.* Phaedr. IV. 17. 31. *non veto dimitti, verum cruciari fame.* Hoc loquendi genus, in quo saepe haeserunt viri docti, praeclare illustrarunt Gronov. Obss. IV. 2. Hemsterh. ad Lucian. Contempl. p. 492. et Dorvill. ad Charit. p. 397.

ACT. IV. SC. I.

3. *Gaudeant.* Ita ex melioribus libris legendum pro *gaudeat.* Nam *quisque* et *quisquam* saepe iunguntur cum verbis pluralis numeri. Sallust. Cat. c. 37. *Sibi quisque ex victoria talia sperabant,* ubi vid. Cortius. Liv. II. 22. *pergunt domos eorum, apud quem quisque servierant,* ubi plura Drakenborch.

4. *Ex incommodis alterius* etc. Pro eo Livius dixit IV. 58. *ex incommodo alieno suam occasionem petere.* *Comparare* ponitur pro simplici *parare* i. e. quaerere, acquirere. Heaut. II. 4. 17. *ut ex illius commodo meum compararem commodum.*

5. *Verum* i. e. aequum, iustum. Caesar B. G. IV. 8. *Neque verum esse, qui suos fines tueri non potuerint, alienos occupare.* Liv. II. 48. *verum esse, habere eos, quorum sanguine ac sudore partus sit,* ubi vid. Interpretes. Sic *veritas* pro aequitate est apud Rutil. Lup. II. p. 84. ubi vid. quae annotavimus. Contra *iustum* dicitur pro verum. Vid. Graevius Lect. Hesiod. c. 6. p. 34.

7. *Tempus perfici* graeco modo dicitur pro perficiendi.

8. *Se aperiunt* i. e. produnt animum suum. Nep. Dion. c. 8. *quod inimici eius suos sensus aperturi forent.* Ovid. Art. Am. III. 371. *Dum sumus incauti studioque aperimur in ipso.*

11. *Quis tu es* est formula alterum contemnentis. Cic. ad Div. VIII. 16. *oro te, quis tu es.* Duker. ad Flor. I. 18. p. 162.

12. *Ubi fides* formula querentium de perfidia. Heaut. II. 3. 15. *o Iuppiter, ubinam est fides.* Ovid. Epist. VI. 41. *ubi pacta fides.* Cato apud Gell. X. 3. *ubi fides maiorum.*

15. *Expostulare* proprie est vehementer postulare, ut aliquid impetres; quod quoniam fere fit cum querela, *expostulare* saepe etiam significat conqueri de iniuria apud eum, qui fecit. Vid. Donat. ad h. l. et ad Hec. I. 2. 105.

16. *Mala* sunt maledicta, convicia. Plaut. Men. V. 1. 17. *omnia mala ingerebat quemquem adspexerat.* *Ingerere* est magna copia inferre, translatione ducta, ut Donatus ad h. l. ait, a telis, quae in hostem *ingeri* dicuntur. Tibull. II. 5. 101. *Ingeret hic potus iuvenis maledicta puellae.* Oudendorp. ad Lucan. V. 681.

Ibid. *Nihil promoveris* i. e. nihil profeceris. Vid. Obss. Misc. Nov. II. p. 8.

18. *Quid* saepe abundat post particulas *si* et *nisi.* Cic. ad Div. IV. 1. *Trebatio mandavi, ut siquid tu eum velles ad me mittere, ne recusaret.* Horat. Serm. II. 1. 78. *nisi quid tu, docte Trebati, Dissentis.* Vid. Heinsius ad Ovid. Epist. VI. 151. et Drakenborch. ad Liv. III. 48. 4.

Ibid. *Respicere* proprie dicuntur Dii homines servantes, malis liberantes. Cic. ad Attic. I. 16. *Nisi quis nos Deus respexerit.* Ovid. Trist. II. 157. *praesens hanc respicis urbem:* Phorm. V. 3. 34. *Di nos respiciunt.* Vid. Brisson. de Formul. I. p. 71. Cic. de Leg. II. 11. Sed homines quoque, qui alterum adiuvant, eius rationem habent, eum *respicere* dicuntur. Adelph. III. 2. 55. *Nam hercle alius nemo respicit nos.* Cic. ad Div. X. 11. *si modo rempublicam respicere volet.* Bentleius ad Horat. Epist. I. 1. 105. Hinc *respectus* non distinguitur ab auxilio. Vid. Gronov. ad Liv. XXI. 44. 8.

19. *Solvisti fidem.* Qui quid promittit, *fidem adstringere* dicitur, ut Eun. I. 2. 22.; qui promissa praestat, *solvere fidem.* Cic. ad Div. X. 21. *suam fidem solutam esse.* Plin. Epist. II. 12. *prioris epistolae fidem exsolvi,* ubi vid. Cortium. Qui *solvere fidem* pro *frangere* dici volunt, hoc loco abutuntur; nam hic per ironiam dicitur. Duker. ad Flor. I. 1. p. 26.

20. *Ducere* i. e. fallere. Phorm. III. 2. 15. *Ut phaleratis dictis ducas me.* Plaut. Captiv. IV. 2. 7. *Hic ille est senex ductus, cui verba data sunt.*

Ibid. *Postulas* i. e. vis, cupis. Infra v. 33. *Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.* Adelph. II. 2. 30. *Ut hanc mihi eripere postulet.* Vid. notata ad Rutil. Lup. II. p. 134.

22. *Spectavi* i. e. indicavi. Similis locus Eun. I. 2. 118. *atque ex aliarum ingeniis nunc me iudicet.* Virgil. Aen. IX. 235. *neve haec nostris spectentur ab annis*, et ibi Servius.

23. *Falsus es* i. e. falleris. Sallust. Iug. c. 85. *nae illi falsi sunt.*

Ibid. *Solidum gaudium* h. e. verum et magnum. Sic *solidum beneficium* Eun. V. 2. 32., *solida frequentia* apud Cic. pro Planc. c. 8.

24. *Lactare* ab antiquo *lacio* significat blandis verbis mulcere, delectare. Vid. Donat. ad h. l. Infra V. 4. 9. *sollicitando et pollicitando eorum animos lactas.*

Ibid. *Falsa spe produceres* i. e. vanis promissis extraheres. Cic. pro Quint. c. 8. *conditionibus hunc quoad potest producit.*

25. *Habeas.* Formula eius, qui quid cum ira et indignatione concedit. Infra V. 3. 18. *immo habeat, valeat, vivat cum illa.* Sueton. Caes. c. 1. *Vincerent ac sibi haberent.* Vid. Donatus ad h. l.

26. *Confecit.* Observanda est modorum variatio *verser* et *confecit* pro confecerit, accuratissimis etiam scriptoribus usitata. Liv. XXXVIII. 33. *Non quia salvos vellet, sed quia perire causa indicta nolebat.* Duker. ad Flor. II. 15. p. 386. Cort. ad Sallust. Iug. c. 4. et Munker. ad Hygin. Fab. 148. *Conficere* ponitur pro simplici facere. Heaut. V. 3. 1. *aliquid gnato conficies mali.*

27. *De te exemplum capit* i. e. idem facit quod tu, te imitatur. Plaut. Most. III. 2. 75. *hinc exemplum capere vult.* Adelph. III. 3. 62. *ex aliis sumere exemplum sibi.*

29. *Altercasti* antique pro altercatus es. *Altercari* proprie est alternis loqui etiam sine iurgio. Caesar B. C. III. 19. Vid. Gesner. in Thes. L. L. h. v. Hinc *altercationes* opponuntur perpetuis orationibus; vid. Drakenb. ad Liv. IV. 6. 1.; deinde hoc verbum translatum est ad contradictiones disputantium, expostulantium vel rixantium.

31. *Quo* i. e. propter quod, quare. Vid. not. ad II. 5. 18.

32. *Hae nuptiae.* Donatus legit *haec nuptiae*, et solebant Veteres *haec* nominativo plur. pro *hae* dicere. Vid. Bentleius supra ad I. 1. 99.

34. *Mane.* Sic dicunt, qui aegre ferunt, suum sermonem ab altero interpellari. Heaut. II. 3. 32.

36. *Cur me enecas* i. e. cur mihi molestus es interpellatione tua. Eun. III. 5. 6. *rogitando obtundat, enecet.*

40. *Nisi* pro *sed* ponitur, praesertim post *nescio.* Terentii exempla collegit Bentleius ad h. l., aliorum scriptorum Gronov. ad Plaut. Menaech. prol. v. 59. et Drakenb. ad Liv. XXIV. 20. 10.

Ibid. *Mihi Deos fuisse iratos* i. e. me stulte egisse, non satis sanam mentem habuisse. Credebant enim Veteres, Deos ei, quem punire vellent, mentem et consilium eripere. Phorm. I. 2. 24. *memini relinqui me Deo irato meo.* Phaedr. IV. 19. 15. *Dis est iratis natus, qui est similis tibi*, ubi vid. Interpretes. Contra iis, qui sanam mentem haberent, Deos propitios esse dicebant. Phorm. IV. 3. 31. *satin illi Di sunt propitii.* Brisson. de Formul. I. p. 100.

42. *At* in principio positum eleganter inservit indignationi et imprecationi. Ovid. Epist. XII. 1. *At tibi Colchorum*, ubi vid. Heinsius. Virg. Aen. II. 535. *At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis.* Eun. III. 1. 41. *At te Di perdant.* Vid. Donatus ad h. l. et Gronov. ad Iustin. XIV. 4.

Ibid. *Duint* antique pro *dent.*

43. *Dic mihi.* Hac formula utuntur vel curiosi, vel cum stomacho et superbia interrogantes. Eun. I. 2. 20. Hec. III. 2. 21. Vid. Broukhusius ad Propert. IV. 3. 23. et Burmannus ad Ovid. Epist. XVI. 341.

47. *Processit parum* i. e. infeliciter evenit. Liv. I. 57. *ubi id parum processit.* *Procedere* etiam simpliciter dicitur pro ex voto evenire. Liv. II. 44. *velut processisset Sp. Licinio,* ubi vid. Drakenborchius.

49. *Satis* eleganter iungitur verbo *credo*, ut Eun. V. 8. 21. *gaudeo. C. satis credo.* Liv. XXI. 8. *ad centum enim quin-*

*quaginta millia habuisse in armis satis creditur*, ubi vid. Dukerus. Sic frequens est *satis constat.*

Ibid. *Si advigilaveris* i. e. si curam intenderis. Phorm. I. 4. 25. *Tanto magis te advigilare aequum est.* Praepositio *ad* vim verbi auget in compositione.

52. *Noctesque et dies* i. e. summa assiduitate, sine ulla intermissione. Eun. I. 2. 113. Sallust. Iug. c. 23. et ibi Cortius. Copula *que* eleganter ponitur ante aliam copulam. Adelph. I. 1. 39. *aequumque et bonum.* Liv. Praefat. extr. *votisque ac precationibus.* Vid. Drakenborch. ad Liv. II. 30. 1.

57. *Restitue in quem* etc. In optimis membranis legitur *restitue quem a me accepisti locum*, quam lectionem Bentleius confirmat ex Phorm. prol. v. 33. Locutio translata est a re militari. Milites enim dicuntur tueri locum, cedere loco, dimittere locum, locum non tenere. Vid. Burmannus ad Ovid. Art. Am. I. 234. et Cort. ad Sallust. Catil. c. 9. 4. Verum nec altera lectio spernenda *restitue in quem* etc. Cic. ad Att. II. 23. *restituique in eum locum cupere, ex quo decidit.* Sed est Graecismus, in ea lectione sic explicandus, *restitue me in illum locum, in quo me accepisti.* Graeci enim pronomen eodem casu ponunt, quo nomen antecedens, quam rationem interdum imitantur Latini. Livius I. 29. *raptim quibus quisque poterat elatis.* Horat. Serm. I. 6. 15. *Iudice quo nosti populo*, ubi vid. Bentleius.

58. *Concrepuit a Glycerio ostium* i. e. ostium aedium Glycerii. Heaut. I. 1. 121. *crepuerunt fores hinc a me.* Graecorum enim ianuae non introrsum trahendo, sed in viam publicam pellendo aperiebantur; itaque ne praetereuntes impulsu ianuae laederentur, exiturus dabat signum crepitaculo quodam. Vid. Lindenbrogius ad h. l.

59. *Inventum dabo* h. e. inveniam. Eun. II. 1. 6. *effectum dabo* i. e. efficiam. Frequens haec periphrasis apud Comicos.

## ACT. IV. SC. II.

1. *Ubi ubi* i. e. ubicunque. Cic. Tusc. Disp. I. 29. *ubi ubi sit animus*, ubi vid. Davisius. Liv. II. 2. *ne ubi ubi regnum*

*desiderium esset*, ubi vid. Interpretes. Sic *unde unde* pro undecunque apud Sueton. in Claud. c. 17., *cui cui* pro cuicunque apud Veget. II. 4. et *qua qua* pro quacunque apud alios; quam repetitionem saepe a librariis neglectam esse docet Oudendorp. ad Sueton. l. c.

2. *Macerare.* Proprietas verbi apparet ex Adelph. III. 3. 27. *salsamenta haec fac macerentur pulcre* i. e. aqua molliantur. Hinc translatum ad animum significat aliquem curis et aegritudinibus ita conterere, ut macrescat. Ovid. Epist. XX. 125. *Maceror interdum, quod sim tibi causa dolendi.* Liv. V. 54. *quae vos macerent desiderio*, ubi vid. Drakenborchius.

3. *Te mihi offers* i. e. mihi obvius es. Liv. XL. 55. *forte oblatum perductumque in regiam*, ubi vid. Gronovius. Pro *se offerre* Hec. IV. 4. 5. dicitur *se ostendere*.

5. *Integrascit* i. e. renovatur. Senec. Med. v. 671.

6. *Sollicitarier* i. e. sollicitudine affici. Infra V. 3. 16. *Cur meam senectam huius sollicito amentia.* Adelph. I. 1. 11. *Quibus nunc sollicitor rebus.*

8. *Quibus quam facile potuerat quiesci* h. e. a quibus nuptiis, quae nos nunc sollicitant adeo et perturbant, quam facile potuerat esse quies, sive potueramus esse sine ulla cura earum. Sic locum exponit Perizonius ad Sanct. Min. III. 3. p. 372.

10. *In moerore est* i. e. moeret; sic Eun. V. 8. 5. *in gaudiis esse* pro gaudere. Heaut. I. 2. 25. *in metu esse* pro metuere. Vid. Interpretes ad Liv. VIII. 33. 20.

11. *Adiuro* ponitur pro simplici iuro. Cic. Philipp. II. 4. *adiuras id te, me invito, non esse facturum.* Hec. II. 2. 26. *sancte adiurat.* Vid. Heinsius ad Ovid. Epist. XX. 159. et Graevius Proleg. ad Thes. Antiq. Rom. T. V.

13. *Valeant* i. e. in malam rem abeant; est formula renuntiandi et male precandi. Adelph. IV. 4. 14. Horat. Epist. II. 1. 180. *valeat res ludrica*, ubi vid. Lambinus.

14. *Discidium.* Discrimen est inter *dissidium* a dissidendo et *discidium* a discindendo. *Dissidium* est dissensio voluntatis

et animorum, *discidium* vero separatio corporum atque adeo divortium. Vid. Oudendorp. ad Sueton. Tib. 7.

15. *Resipisco* i. e. animum recipio vel respiro, ut Heaut. II. 2. 12.

Ibid. *Non Apollinis magis verum.* Proverbium de iis, quae verissima sunt. Ovid Art. Am. III. 789. *Sed neque Phoebei tripodes, nec corniger Ammon, Vera magis vobis quam mea Musa canent.*

Ibid. *Ac* et *atque* non solum post *alius*, *contra*, *perinde*. *similiter*, sed etiam post comparativum pro *quam* ponuntur, Cic. ad Att. XIII 2. *diutius abfuturus ac nollem.* Catull. LXI. 176. *Illi non minus ac tibi pectore uritur intimo flamma.* Bentleius ad Horat. Serm. I. 1. 46.

16. *Per me stetisse* h. e. per me factum esse, me causam fuisse. Caesar B. C. I. 41. *Per Afranium stare, quo minus proelio dimicaretur.* Liv. VIII. 2. *nec quo minus cum eis amicitia esset, per Populum Romanum stetisse*, ubi vid. Drakenb.

18. *In proclivi est* hic dicitur pro proclive est. Quidam codd. habent *in proclivo est.* De forma *proclivus* vid. G. Fabricium ad h. l. et Oudendorp. ad Hirt. B. Afr. c. 11.

19. *Fortis* etc. Bentleius eleganter legit *forti's, si quid conere* hoc sensu: optimum consilium extundes, si modo nervos intendas.

23. *Vacuum esse* i. e. vacuum tempus habere. Cic. Brut. c. 5. *cum te sciremus esse vacuum.* Idem de Leg. I. 4. *quoniam vacui sumus.*

24. *Hinc vos amolimini* i. e. hinc abite. Vid. Donat. ad h. l. Similis formula Phorm. III. 3. 33. *te hinc amove.*

25. *Quo te agis* i. e. quo abis. Poetis propria locutio. Plaut. Mostell. I. 4. 28. *unde agis te* i. e. unde venis. Virg. Aen. VIII. 465. *Aeneas se matutinus agebat.*

28. *Promoveo* i. e. produco, removeo in longius tempus.

## ACT. IV. SC. III.

1. *Proprium* i. e. constans, perpetuum, duraturum. Nep. Thras. c. 4. *parva munera diutina, locupletia non propria esse*

*consueverant.* Cic. post redit. in Senat. c. 4. *Si illud perenne ac proprium manere potuisset.* Vid. Lambin. ad Horat. Epist. II. 2. 172.

2. *Summum bonum.* Sic Ovid. Epist. XVI. 307. *nec si bona summa putaret Quae tenet, externo crederet illa viro,* ubi vid. Burmannum.

3. *In quovis loco* h. e. quavis occasione, quovis tempore. Adelph. II. 2. 8. *pecuniam in loco negligere* h. e. opportune. Vid. Manut. ad Cic. ad Div. IX. 16. et Graevius ad Cic. de Off. I. 40.

4. *Quem capit laborem.* Sic ex melioribus libris legendum, non *capit dolorem.* *Labor* est malum, aerumna. Infra V. 2. 29. *tantum laborem capere ob talem filium.* Iustin. XXII. 6. *laboribus adversisque rebus*, ubi vid. Graevius.

5. *Facile* i. e. certo, liquido, sine dubio. Vid. Donat. ad h. l. Eun. IV. 3. 6. *unguibus facile illi in oculos involem venefico.* Cic. ad Div. VI. 6. *homo facile omnium nobilissimus.* Duker. ad Flor. III. 14. p. 557.

8. *Expromta memoria* i. e. promta, parata, cui opponitur memoria tarda.

11. *Ex ara.* Binae in scena arae erant, dextra Baccho sacra in tragoedia, Apollini in comoedia, sinistra Deo Deaeve, in cuius festo ludi agerentur, ut hic in Megalensibus Deae Magnae. Vid. Scaliger ad Plaut. Most. V. 1. 45. et Lindenbrog. in Donat. ad h. l.

Ibid. *Verbena* est herba e loco sacro sumta vel frondes arborum Diis sacrarum, ut lauri, olivae, myrti. Myrtum hic intelligi apparet ex Menandri loco apud Donatum, quem Terentius expressit. Vid. Servius ad Virg. Ecl. VIII. 65.

13. *Ad herum* i. e. apud herum. Caesar B. G. III. 9. *legatos, quod nomen ad omnes nationes sanctum.* Liv. VII. 7. *neque segnius ad hostes bellum apparatur,* ubi vid. Gronovius. Heaut. V. 2. 26. *tibi iam esse ad sororem intelligo.*

14. *Ut liquido possim* scil. iurare. *Liquido iurare* est vere, sine fraude, salva conscientia, ut vulgo loquuntur. Ovid. Epist. ex Pont. III. 5. 49. *ut liquido iuratus dicere possis.* Se-

nec. de Benef. VII. 9. *mulier parum liquido iurabit.* Eun. II. 3. 40. *liquet mihi deierare.* Sic etiam dicitur *liquido confirmare, dicere, negare.*

15. *Religio* est metus conscientiae, ni hoc facias, vel si hoc facias. Heaut. II. 1. 16. *religio est dicere* h. e. non audeo dicere ob metum Deorum. Iam quoniam religione vel metu Deorum saepe impedimur, quominus quod volumus faciamus, *religio* dici coepit de impedimento vel scrupulo. Infra V. 4. 38. *dignus es cum tua religione odio.* Cic. Orat. c. 11. *Hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsus.*

Ibid. *Te incessit* i. e. te invasit. Liv. XXV. 1. *tanta religio civitatem incessit.* Hoc verbum variis modis construitur: *religio incessit me, mihi* et *in me.* Vid. Interpretes ad Caes. B. C. II. 28.

18. *Repudio quod consilium primum intenderam* i. e. abiicio rei gerendae rationem, in quam animum intenderam. Perizonius ad Sanct. Min. IV. 4. 8. p. 553.

20. *Ut subservias orationi verbis* h. e. ut tua verba accommodes ad mea, ut tuis verbis apposite respondeas ad mea, ne simulatio intelligatur.

23. *Si plus vides* h. e. si plus intelligis, si prudentior es. Cic. ad Div. VI. 4. *Vidisse me plus quam ceteros,* ubi vid. Graevius. Heaut. III. 1. 95. *Aliena ut melius videant quam sua.*

## ACT. IV. SC. IV.

5. *Homo* ponitur pro ille. Phaedr. II. 5. 19. *Agnoscit hominem.* Manut. ad Cic. Epist. ad Div. I. 2.

6. *Quid turbae* pro quantae turbae. Sic Veteres loquebantur, cum magnam rei alicuius vim aut copiam indicare vellent. Heaut. II. 3. 6. *Portant quid rerum,* ubi vid. Muretus.

Ibid. *Quid illic hominum litigant.* Notanda locutio propter syntaxin; *quid hominum* habet naturam collectivorum et cum plurali iungitur. Adelph. IV. 4. 26. *Aperite aliquis actutum ostium.* Vid. Heinsius ad Virg. Aen. X. 238.

7. *Annona cara est.* Similiter garrulus apud Theophr. Charact. c. 4. narrat frumentum in foro vili venisse pretio, ubi vid. Casaubonus.

8. *Quae haec est fabula.* Hac formula Veteres utuntur de rebus miris et inexspectatis, quarum rationem non intelligunt. Eun. IV. 4. 22.

9. *Unde est* i. e. cuius est, a quo est. Eun. prol. v. 10. *causam dicere prius unde petitur.* Cic. pro Flacco c. 26. *Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, leges ortae atque in omnes terras distributae putantur.* Vid. Gronov. Obss. IV. 11.

11. *Miror* venustissime dicitur pro nescio. Vid. Donatum ad h. l. Phorm. II. 1. 5. *quam causam reperient, miror.* Plaut. Aulul. prol. v. 1. *Ne quis miretur, qui sim, paucis eloquar.* Vid. Gifan. Obss. L. L. p. 275.

15. *Male dicis* est querentis et indignantis; contra *bene dicis, bene facis* gratias agentis. Eun. III. 1. 61.. Vid. Bentleius ad h. l.

Ibid. *Dic clare* i. e. magna et elata voce. Sueton. Vitell. c. 14. *quod Venetae factioni clare maledixerant.* Barbari dicunt *alta voce* pro clara voce, sed *alta vox* apud Veteres est superba. Burmann. ad Ovid. Trist. IV. 9. 24. et Oudendorp. ad Frontin. IV. 1. 33. Sed hic melius fuerit *clare* accipere pro certe, sine ambagibus. Sic *clara* et *certa* iunguntur Hec. V. 4. 1. et sic accepit Bentleius ὁ πάνυ.

Ibid. *A nobis* i. e. ex nostris aedibus.

16. *Vero* eleganter inservit ironiae. Eun. I. 2. 9. *sane, quia vero hae mihi patent semper fores.* Plaut. Aulul. II. 4. 6. *bellum et pudicum vero prostibulum.* Virg. Aen. IV. 93. *Egregiam vero laudem.*

Ibid. *Mulier meretrix;* abundat *mulier.* Similis pleonasmus Phorm. II. 1. 62. *homo servus.* Cic. ad Div. XII. 22. *homo gladiator.* Vid. Bentleius ad h. l. et Cortius ad Sallust. Iug. c. 12. 5.

19. *In quibus illudatis;* inusitata constructio. Nam usitate dicitur *illudere alicui, aliquem et in aliquem.*

21. *Excessis* antique pro excesseris.

22. *Di te eradicent* h. e. funditus perdant. Comica phrasis est. Vid. Heaut. III. 3. 28.

24. *Cuium puerum;* antiquo more pro cuius, a cuius, cuia, cuium. Infra V. 4. 29. *cuiam igitur.* Virg. Ecl. III. 1. *Cuium pecus.*

27. *Recte* i. e. merito, non sine causa. Infra V. 4. 50. *recte admones.* Hec. V. 4. 22. *recte amasti uxorem tuam.*

29. *Quemne ego heri vidi.* Oratio sic explenda: tune dicis hunc esse puerum Pamphili, quem ego heri vidi ad vos adferri? Catull. LXIV. 180. *An patris auxilium sperem, quemne ipsa reliqui* i. e. eiusne, quem ipsa reliqui, ubi vid. Muretum.

30. *Verum* i. e. omnino, plane; qua voce utuntur, qui cum confirmatione respondent. Eun. II. 3. 56.

31. *Subfarcinatus* dicitur, qui quid sub veste gestat, quod eum crassiorem et magis tumentem faciat. Plaut. Curcul. II. 3. 10. *Qui incedunt subfarcinati cum libris* h. e. qui libros sub pallio gestant. Vid. Donatus ad h. l.

Ibid. *Habeo gratias.* Bentleius e mss. recte edidit *habeo gratiam;* nam hoc est ex more Comicorum.

32. *Liberae;* his enim solis testimonii dictio erat, non servis. Phorm. II. 1. 63. *servum hominem causam orare leges non sinunt, neque testimonii dictio est.* Etiam apud Romanos si quae mulier post mariti mortem pareret, liberas mulieres adesse oportebat. Vid. Leg. 2. §. 10. Pand. De ventr. inspic. et Lindenbrog. ad h. l.

40. *Fallacia alia aliam trudit* i. e. alia aliam sequitur. Hor. Carm. II. 18. 15. *Truditur dies die,* ubi vid. Torrent. Add. Interpretes ad Petron. c. 45. p. 216.

41. *Coactus legibus.* Saepe Veteres *leges* dicunt de lege una vel legis parte. Sic *legibus solvi* dicitur, qui una alterave lege solvitur, ut docet Graevius ad Cic. Philipp. II. 1?. Lege vero Atheniensium, qui virgini civi vitium obtulerat, eam uxorem ducere cogebatur. Vid. Adelph. IV. 7. 7.

43. *Ioculariam malum* i. e. ioco et risu dignum. Phorm. I. 2. 84. *iocularem audaciam.* Cic. de Fato c. 8. *O licentiam*

*iocularem.* A *ioco* est diminitivum *ioculus*, unde *iocularis* et *iocularius*. Vid. Lindenbrog. ad h. l.

44. *Per tempus* i. e. opportuno tempore. Hec. IV. 3. 16. *video Phidippum per tempus egredi.*

47. *In cruciatum* i. e. ut veritas per tormenta exquiratur.

48. *Hic est ille*, nempe Chremes, de quo dixerat supra v. 34. Elegans formula *hic ille est.* Eun. IV. 6. 14. *haec ea est.* Liv. XXVI. 17. *hic is est qui pugnam praecessit;* similiter *hoc illud est* apud Cic. de Senect. c. 20. Vid. Drakenborch. ad Liv. II. 6. 7.

51. *Si pol Glycerio;* plena oratio est: peream, si non omnia narraro Glycerio.

53. *Socer est.* Socer, gener, maritus, coniux saepe dicitur non qui est, sed qui fore speratur. Vid. Servius ad Virgil. Ecl. VIII. 18. et Burmann. ad Val. Flacc. III. 497.

54. *Praediceres* pro praedixisses, imperfectum pro plusquamperfecto, de qua temporum enallage vid. Gronov. ad Liv. XXXIV. 11. 2. Perizon. ad Sanct. Min. I. 13. 5. p. 98.

55. *Paulum interesse.* Locus corruptus, de quo vid. Bentleius.

## ACT. IV. SC. V.

2. *Sese* poterat abesse, sed saepe abundat. Eun. prol. v. 1. *qui placere se studeat bonis quam plurimis.* Sallust. Catil. c. 1. *qui sese student praestare ceteris animalibus.*

Ibid. *Optare* est eligere. Liv. XLII. 32. *sine sorte se Macedoniam optaturum*, ubi vid. Drakenborch.

3. *In patria pauper viveret.* Sic e mss. optime reposuit Bentleius. Ante edebatur *in patria pauper vivere*, quod per Graecismum dictum putat Perizon. ad Sanctii Min. IV. 12. 9. p. 732. In lectione, quam revocavit Bentleius, talis est syntaxis, qualis Adelph. I. 2. 28. *sineres nunc facere potius quam ubi te exspectatum eiecisset foras, alieniore aetate post faceret tamen.* Caesar B. G. II. 10. *optimum esse domum suam quemque reverti et quorum in fines primum Romani exercitum introduxissent, ad eos defendendos undique convenirent* pro con-

venire, ubi vid. Oudendorp. Plura notavimus ad Rutil. Lup. II. p. 95.

4. *Redire* potissimum dicitur de haereditatibus legitimis, *venire* de haereditatibus testamento relictis. Hec. I. 2. 99. *ea ad hos redibat lege haereditas.* Cic. in Verr. II. c. 14. *huic haereditas facile ad HS tricies venit testamento propinqui sui.* Brisson. de Verbor. Signif. s. v. *Lege fieri* dicuntur, quaecunque fiunt secundum praescriptum legis.

8. *Itane Chrysis* scil. mortua est, quod omittitur ex more Veterum, qui libenter abstinebant verbis mali ominis.

9. *Satin recte;* subintelligendum agitis; solennis interrogatio peregre redeuntium vel aliunde advenientium. Quinctil. Inst. VI. 3. *rectene omnia* scil. se habent. Vid. Brisson. de Form. VIII. p. 724. Dicunt etiam Veteres *satisne salvae* sc. res sunt, ut Eun. V. 5. 8. Sed disputant viri docti, an etiam dixerint *satisne salve* ut *salve* sit adverbium. Verum rectissime iudicat Gronovius ad Plaut. Stich. I. 1. 10. hanc formam non satis rectis testimoniis niti. Gronovio accedit Dukerus ad Liv. I. 58. 7.

12. *Haud auspicato* i. e. haud feliciter. Iustin. VIII. 2. *tot urbes auspicato condiderant.*

Ibid. *Huc me appuli.* Bentleius e mss. legit *huc me attuli.* Optime. Sic Plautus Amph. III. 4. 6. *eius iussu nunc huc me affero.* Sic *se auferre* est discedere, abire. Phorm. III. 3. 26. *aufer te hinc.*

13. *Tetulissem pedem* antique pro tulissem. *Ferre, inferre pedem,* et contra *efferre, referre pedem* poetis imprimis usitata sunt; qua de causa critici quidam, teste Donato, annotarunt, locutionem *tetulissem pedem* alienam esse a charactere comico. Sed et Plautus sic locutus est Menaech. II. 3. 29. *qui huc in hanc urbem pedem, nisi hodie, nunquam intro tetulit;* et noster Adelph. II. 2. 19. *nusquam pedem* scil. fero.

16. *Lites sequi* i. e. in iudicio litigare. Adelph. II. 2. 40. *potius quam lites sequar.* Phorm. II. 3. 61. *potius quam lites secter.* Sic *bella sequi* apud Virg. Aen. X. 66.

Ibid. *Quam facile atque utile* i. e. quam difficile et inutile. Loquendi rationem supra illustravimus.

20. *Sycophantam* i. e. calumniatorem, qui sciens litem falsam intentat.

22. *Antiquum obtines* scil. morem vel ingenium. Plena locutio est Hec. V. 4. 20. *at tu morem antiquum atque ingenium obtines.* Est etiam *obtinere* pertinaciter tenere, perseverare in tenendo. Adelph. V. 3. 28. *gloriam tu istam obtine.* Cic. ad Quint. Fr. I. 1. *ut nos eam necessitudinem obtinere et conservare patiantur.* Vid. Gronov. ad Liv. III. 36. 9.

23. *Quando* i. e. quoniam. Liv. XXXIII. 2. *quando tuta ea pacataque a tergo relinquebantur*, ubi vid. Drakenborch.

24. *In tempore hoc* pro tempore hoc. Saepe nominibus temporis in ablativo positis praepositio *in* additur. Cic. pro Quint. c. 1. *Quae res in civitate duae plurimum possunt, hae contra nos faciunt in hoc tempore.* Vid. Drakenborch. ad Liv. I. 57. 1.

## ACT. V. SC. I.

3. *Illusi vitam filiae* i. e. feci, ut fama et existimatio filiae ludibrio esset aliis.

4. *Enim* ponitur pro *vero.* Eun. II. 3. 64. *immo enim si scias.* Phorm. V. 7. 90. *enim solus nequeo.* Vid. Interpretes ad Caes. B. G. V. 7.

5. *Beneficium verbis initum nunc re comprobes* i. e. quod promisisti, nunc re praestes. *Initum* est inceptum; *re* contrarium est *verbis.* Adelph. II. 1. 10. *neque tu verbis solves unquam, quod mi re maleferceris.* Duker. ad Flor. IV. 7. p. 751.

6. *Prae studio* i. e. propter studium. Liv. XXXI. 24. *nec divini humanive iuris quidquam prae impotenti ira est servatum.* Flor. II. 10. *ubi essent prae poculis nescientes.* Vid. Broukhus. ad Propert. II. 20. 15. *Studium* est cupiditas.

7. *Neque modum benignitatis cogitas* i. e. neque finem benignitati meae statuis. *Modus* est finis, quem transire non licet. Heaut. IV. 5. 7. *sumptus cotidianos fieri, nec fieri mo-*

*dum.* *Benignitas* est humanitas, facilitas, ut apud Plaut. Trin. II. 4. 58. *benignus* pro facili.

8. *Remittas* i. e. omittas. Sallust. Iug. c. 52. *neque remittit explorare.* Hor. Carm. II. 11. 3. *remittas quaerere.*

Ibid. *Onerare iniuriis.* Sic etiam dicitur *onerare aliquem maledictis, mendaciis, contumeliis;* aliquando in bonam partem *onerare laudibus, honoribus.* Vid. Drakenborch. ad Liv. IV. 13. 13. *Iniuriae* h. l. dicuntur preces iniquae et iniustae. Sic apud Plaut. Poen. III. 6. 14. *iniuria* est res iniusta.

10. *Ab re uxoria* h. e. a nuptiis. Eadem circumscriptione *res pecuniaria* dicitur pro pecunia, *res frumentaria* pro frumento, *res rustica* pro agricultura.

11. *In seditionem* i. e. in discordiam et rixas. *Seditio* saepe est tumultus domesticus inter coniuges; sic *mulier seditiosa* apud Cic. ad Attic. II. 1. ubi vid. Graevius.

Ibid. *Incertas nuptias* i. e. parum firmas, non diu duraturas, contra *certus maritus* est apud Ovidium Epist. V. 107.

12. *Gnato ut medicarer tuo* i. e. ut filio tuo remedium adhiberem. Supra I. 2. 22. dixerat *filii animum aegrotum.* Ut morbi, ita etiam medicinae vocabulum ad animum transfertur. Vid. Bentleius ad Hor. Epist. I. 16. 40.

20. *Vero vultu* i. e. non simulato, non ficto. Ovid. Met. XIII. 43. *verus furor.* Val. Flacc. VI. 459. *veri timores.*

## ACT. V. SC. II.

1. *Animo otioso* i. e. securo, tranquillo. Eun. V. 3. 10. *videsne ut otiosus it.* Cic. ad Div. IX. 25. *si otiosum Fabium reddideris.* Senec. Controv. I. 4. p. 115. *quam otiosi, quam securi adulteri transierunt praeter oculos meos,* ubi vid. Schultingius.

4. *Res est in vado* i. e. in tuto. Plaut. Aulul. IV. 10. 73. *iam esse in vado salutis res videtur.* Proprie *in vado esse* dicitur, qui in flumine vel mari ad locum minus profundum venit, in quo vadere et pedibus niti possit.

7. *Id enim vero hic nunc abest.* Per ironiam dicit, hoc solum nunc deesse perficiendis nuptiis. Plaut. Stich. V. 4. 29.

*id abest, aliud nihil abest;* idem Epid. I. 1. 25. *at unum a praetura tua abest.* Vid. Bentleius ad h. l. et Burmannus ad Virg. Aen. VIII. 147.

8. *Etiam tu hoc respondes.* Si legamus *respondes*, particula *etiam* increpandi vim habet ut Adelph. IV. 2. 11; *etiam taces?* Petron. c. 21. *etiam dormire vobis in mente est?* Sin meliorum codd. lectionem *responde* sequamur, *etiam* est particula hortantis. Vid. Bentleius ad h. l. et Servius ad Virg. Aen. XI. 373.

12. *Quid illum censes* suppl. hic esse. Comica est formula, qua interrumpere solebant narrationem rei, praesertim inopinatae. Adelph. IV. 5. 22. *quid illas censes.* Vid. Gronov. ad Plaut. Curcul. I. 1. 59.

14. *Confidens*, plerumque temerarius, hic in bonam partem sumitur pro constanti, gravi. Vid. Donat. ad h. l.

Ibid. *Catus* i. e. prudens, expertus. *Cate* et *sapienter* iungit Plautus Poen. I. 1. 3.

16. *Tristis severitas* h. e. severa gravitas. Saepe graves et severi *tristes* dicuntur, quoniam a iocis et hilaritate alieni sunt. Cic. in Verr. I. 10. *tristis iudex;* pro Quint. c. 18. *natura tristi ac recondita fuit.* Nep. Epam. c. 2. *tristem et severum senem.*

20. *Sublimem* h. e. ita sublatum, ut terram pedibus tangere non possit. Adelph. III. 2. 18. *sublimem medium arriperem.* Plaut. Asin. V. 2. 18. *quin tu illum iubes ancillas rapere sublimem domum.* Claudian. Eidyll. VII. 7. *grandaevi gemina sublimes prole feruntur.*

Ibid. *Quantum potes* i. e. quam celerrime; est formula indicans celeritatem. Eun. II. 3. 86. *duc quantum potes.* Phorm. IV. 3. 69. *quantum potes me certiorem fac.*

21. *Rape inquam.* Vulgo contra antiquorum rationem verbo *inquam* utuntur ad lapsum linguae corrigendum. Veteres enim hoc verbo vel coeptam et nonnihil interruptam orationem redintegrabant, vel illud post vocem aliquam repetitam emphasis causa ponebant. Cic. ad Attic. I. 20. *per mihi, per inquam, gratum feceris;* in Verr. V. 10. *crux, crux inquam, mi-*

*sero comparabitur.* Linguae lapsum corrigentes dicebant *illud volui dicere*, ut Plaut. Pseud. II. 4. 21. *attuli hunc. P. quid attulisti? C. adduxi volui dicere.*

23. *Commotum reddam* h. e. commovebo, faciam, ne animo sis otioso, ut Davus v. 1. dixerat. Heaut. IV. 4. 8. *dormiunt; ego pol istos commovebo.*

24. *Quadrupedem constringito* h. e. ita eum constringito, ut instar quadrupedis manibus pedibusque consistat, capite lignorum pondere in terram depresso; est genus supplicii, quod Attici κυφωνισμὸν vocant. Vid. Schol. in Aristoph. Plut. v. 476.

27. *Ne saevi tantopere* h. e. ne nimium irascaris. Plaut. Bacch. III. 3. 4. *leniter qui saeviunt, sapiunt magis.* Sic *saevus* dicitur pro irato, ut Phorm. V. 1. 17. *conclusam hic habeo uxorem saevam.* Vid. Burmann. ad Ovid. Art. Am. I. 18.

28. *Pietatem gnati* h. e. ubi est filii pietas, quam tantopere iactavit.

29. *Tantum laborem capere* scil. *me*, quod assumendum est ex praecedenti *mei*. Vid. Donat. ad h. l. et Cortius ad Sallust. Catil. c. 52.

## ACT. V. SC. III.

1. *Omnium* scil. nequissimus; est aposiopesis.

2. *Male loqui* i. e. male dicere, maledicta in eum iacere. Phorm. II. 3. 25. *pergin hero absenti male loqui.*

3. *Gravius* i. e. asperius. Adelph. I. 2. 60. *nolo in illum gravius dicere.* Cic. Verr. III. 58. *eum ne verbo quidem graviore appellasses.*

4. *Ain tandem.* Sic dicimus interrogantes ea de re, quae admirationem nobis attulit. Phorm. II. 3. 26. et Cic. ad Div. IX. 21. et ibi Manutius.

8. *Impotens* est, qui non potest moderari animi affectionibus. Heaut. II. 3. 130. *novi quam soleas esse impotens.*

10. *Probrum* generale est nomen, quod in omnia turpia facta convenit, sed peculiariter dicitur de stupro et adulterio, unde *probrosae feminae* apud Sueton. Domit. c. 8. sunt stupris et lenociniis infames.

12. *Animum induxti tuum.* Prosae orationis scriptores in hac locutione omittunt *meum*, *tuum*, *suum*. Vid. Vorstium de Latinit. merit. susp. c. 10.

14. *In te accidit* h. e. in te convenit; *pertinet ad illos* eodem sensu dixit Phaedrus I. 14. 17.

15. *Sed quid ego? cur me excr.* Bentleius legit *sed quid ego me autem excrucio.* Sic Virgil. Aen. II. 101. *sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo.* Est frequens transitionis formula. Livius XXXVIII. 48. *sed quid ego haec ita argumentor.* Vid. Oudendorp. ad Apul. Met. II. p. 106.

20. *Domus;* huius enim prima cura erat uxores ducentibus. Vid. Perizon. ad Aelian. V. Hist. IV. 26.

Ibid. *Liberi* in plurali dicitur de uno filio, ut *nati* apud Virgil. Aen. X. 532. Plura exempla habet Dukerus ad Flor. IV. 3. p. 722.

21. *Viceris* est vox per iram aliquid concedentis. Caes. B. G. V. 30. *vincite si ita vultis.* Sueton. Caes. c. 1. *vincerent ac sibi haberent*, ubi vid. Casaubon. *Vincere* dicuntur, quarum sententia probatur. Vid. Drakenb. ad Liv. II. 4. 3.

23. *Tamen audi.* Quamvis vox *tamen* plerumque alteri voci subiungatur; saepe tamen initio ponunt; quibus locis aliquid mente supplendum est: quamvis Pamphilus nihil dicere possit, tamen audi. Liv. XL. 56. *Tamen admoneri potuisset Antigonus*, et ibi Drakenborchius.

27. *Amittere* i. e. dimittere. Phorm. I. 2. 91. *nunc amitte quaeso hunc.* Burmann. ad Phaedr. I. 13. 10. Bentleius edidit *hanc vis mittere*, quippe *amittitur* uxor iam domum ducta; *mittitur*, quae nondum ducta est. Phorm. IV. 3. 70. *hanc ut mittam.*

28. *Allegatum* i. e. submissum, subornatum. *Allegare* in utramque partem dicitur; in bonam est mittere amicum, sequestrem, pararium, qui cum aliquo de negotio aliquo agat; quam eius vim praeclare explicuit Gronovius ad Liv. XXXVI. 11. 1. In malam est dolos inter se componere, per fraudem aliquem subornare. Plaut. Poen. III. 5. 28. *eum allegaverunt suum qui servum diceret cum auro esse apud me.* Idem Trin. V. 2. 18. *meo allegatu venit, quasi qui aurum mihi ferret abs te.*

30. *Da veniam* i. e. fac, quod te rogat; concede, quod petit. Hec. IV. 2. 29. *da veniam hanc mihi.* Cic. pro Arch. c. 2. *quaeso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam.*

Ibid. *Sine te hoc exorem* i. e. sine hoc orando abs te impetrem.

## ACT. V. SC. IV.

2. *Cupio Glycerio* i. e. faveo. Plancus Cic. Epist. ad Div. X. 4. *tibi cui maxime cupio.* *Cupere* et *favere* coniungit Caesar B. G. I. 18. ubi vid. Interpretes. Eodem sensu Cicero dicit *cupio tua causa* et *volo tua causa.* Vid. ad Div. I. 1. et ibi Manutius.

4. *Insolens* dicitur, qui aliquid facere non solet. Caes. B. C. II. 36. *multitudo insolens belli*, ubi vid. Davisius.

6. *Paratus advenis* i. e. dolis et mendaciis instructus. Phorm. II. 3. 80. *itane es paratus facere me advorsum omnia.* Rutil. Lup. II. p. 86. *sed ut paratus venisse videbatur, iam se negabit accepisse*, ubi vid. quae annotavimus. Add. Drakenborchius ad Liv. III. 10. 9.

8. *Imperitos rerum* h. e. simplices, nec satis munitos adversus fraudes. Caes. B. C. I. 85. *homines imperitos et per colloquium deceptos crudelissime interfecisse.* Vid. Gronov. Obss. IV. 3.

Ibid. *Eductos libere* i. e. liberaliter et ut liberis hominibus, non servis convenit educatos.

Ibid. *In fraudem illicis* h. e. in damnum et periculum. Virg. Aen. X. 72. *Quis Deus in fraudem, quae dura potentia nostri Egit*, ubi vid. Servius. Bentleius recte interpungit *in fraudem illicis sollicitando, et pollicitando eorum animos lactas.*

10. *Meretricios amores nuptiis conglutinas* i. e. facis ut ex iis fiant nuptiae. Cic. ad Div. XI. 27. *vitae dissimilitudo non est passa voluntates nostras consuetudine conglutinari.*

11. *Ut substet* i. e. ut sustineat, ut satis firmus sit adversus patris intemperiem. *Substo* dicitur pro subsisto.

13. *Attemperate* i. e. opportune.

15. *Pro illa re* h. e. quod utile sit in hanc rem.

16. *Sic est hic* i. e. talis est huius natura, nempe prona ad iram. Phorm. III. 2. 42. *sic sum* i. e. tales sunt mores mei. Plaut. Amphitr. II. 1. 57. *sic sum ut vides.* Vid. Interpretes ad Petron. c. 38. p. 167.

Ibid. *Videat qui sit* h. e. ipse sciat qui sit, ad me non pertinet, nec curo qui sit. Hanc formulam explicant viri docti, quos laudat Drakenb. ad Liv. XLII. 13. 11.

17. *Si mihi pergit* etc. Simillimus est versus Alcaei apud Proclum in Hesiod. ἔργ. v. 721. Vid. Graevii Lect. Hesiod. p. 81.

18. *Istaec moveo* i. e. istorum auctor sum, ea concito. Ovid. Art. Am. II. 575. *quam mala, Sol, exempla moves.*

21. *Applicare se ad aliquem* significat sibi aliquem patronum adsciscere, se in alicuius clientelam dare, quod peregrini et exules Athenis facere solebant. Talis patronus habebat aliquid iuris in eum, in eius bona, haereditatem etc. si intestatus mortuus esset; *ius applicationis* vocat Cic. de Orat. I. 39. Vid. Gronov. Obss. I. 9.

23. *Obturbat* h. e. obstrepit, interpellat sermonem. Plaut. Poen. I. 2. 49. *ne me obturba ac tace.* Plin. Epist. IX. 13. *incipit respondere, obturbatur, obstrepitur.*

26. *Perii* hoc loco non desperantis sed admirantis exclamatio est, ut Eun. II. 3. 69.

27. *Rhamnusium* i. e. ex Rhamnunte, pago Aeantidis tribus. Steph. Byz. h. v.

30. *Arrige aures* i. e. bene attende. Pamphilus se ipse hortatur ad attendendum. Locutio ducta est ab animalibus, quae ad subitum strepitum aures arrigunt. Virg. Aen. I. 152. *silent arrectisque auribus adstant,* ubi vid. Servius. *Aures erigere* dixit Cic. Verr. I. 10. quod sine causa in *aures arrigere* mutari docet Drakenborch. ad Liv. II. 54. 8. *Suspendere aures* de attento studio dixit Propert. III. 5. 8. *suspensis auribus ista bibam.*

32. *Persequens* ponitur pro simplici sequens. Liv. V. 40. *magna tamen pars earum in arcem suos persecutae sunt,* ubi vid. Drakenborch.

33. *Post illa* pro postea frequens est Comicis.

36. *Multimodis* i. e. multis de causis, valde, vehementer. Heaut. II. 3. 79. *multimodis iniuriis.* Phorm. III. 1. 1. *multimodis es vituperandus.* Vid. Interpretes ad Nep. Them. c. 10. Alibi Terentius *miris modis*, *omnibus modis.*

Ibid. *Credo.* Hoc usitatum est iis, qui respondent gratulantibus, quasi dicas *gratias ago.* Eun. V. 8. 21. Adelph. V. 9. 15.

37. *Scrupulus* i. e. difficultas, molestia. Phorm. V. 9. 30. *qui fuit in re hac scrupulus.* Metaphora est a *scrupis* et *scrupulis* i. e. parvis lapillis, qui ambulantium pedibus molesti sunt. Festus v. *scrupi.*

38. *Cum tua religione* i. e. qui talem religionem sive nimiam sollicitudinem habeas. Sic indignantes adhibent praepositionem *cum.* Eun. I. 2. 73. *egon quicquam cum istis factis tibi respondeam.* Phorm. III. 1. 1. *multimodis cum istoc animo es vituperandus.* Hec. I. 2. 59. *Di te perdant cum istoc odio* i. e. cum tam odiosus sis.

Ibid. *Odium* legitur in membranis optimis, non *odio*, ut editiones quaedam habent. Vossius de Construct. c. 13. p. 386. aliique *odium* cum *dignus* iungunt, ut *dignus odium* elliptice dicatur pro *dignus ad odium.* Sed melius est post vocem *religione* interpungere, et *odium* accipere pro homine odioso, ut *scelus* pro homine scelesto. In verbis vero *dignus es cum tua religione* est aposiopesis, Comicis valde usitata. Vid. Donat. ad h. l.

Ibid. *Nodum in scirpo quaeris* i. e. quaeris difficultates, ubi nullae sunt. *Scirpus* est iuncus, qui nullos nodos habet. Festus. s. v.

40. *Numquid* ponitur pro simplici *num.* Liv. VII. 25. *numquem plebeii consulis poeniteret*, ubi vid. Drakenborch.

44. *Credo credere.* Talis geminatio est infra V. 5. 1. *me putet non putare.* Vid. Duker. de Lat. Vet. ICt. p. 330.

46. *De uxore* i. e. quod ad uxorem attinet. Adelph. II. 1. 50. *de argento, somnium.* Cic. ad Div. I. 1. *Luculli sen-*

*tentia cedit religioni de exercitu.* Sueton. Tiber. c. 17. *de cognomine intercessit Augustus.*

52. *Non recte* i. e. non iuste, non ob iustam caussam: Est lusus in duplici sensu vocis *recte.* Nam Simo iculariter sic intelligit, quasi Pamphilus dixisset: non diligenter vinctus est. Vid. Donatus ad h. l.

## ACT. V. SC. V.

1. *Proviso* i. e. prodeo, ut videam. Eun. III. 1. 4. *huc proviso.* Adelph. V. 6. 1. *ego hinc ad vos proviso.* Vid. notat. ad II. 4. 1.

2. *Lubet.* Bentleius eleganti coniectura legit *liquet.*

4. *Mihi immortalitas parta est* i. e. beatissimus, felicissimus sum. Plaut. Merc. III. 4. 18. *salvus sum; immortalitas mihi data est.* Eadem sententia dicitur Heaut. IV. 3. 15. *Deorum vitam apti sumus.* Hec. V. 4. 3. *Deus sum, si hoc ita est.* De hac formula vid. Passeratium ad Propert. II. 14. 10. et Interpretes ad Petron. c. 132.

6. *Mihi dari* h. e. mihi obviam dari. Eun. IV. 3. 5. *qui nunc si detur mihi.*

8. *Gavisurum gaudia.* Saepe Latini Graecos imitati verbis neutris accusativum suae cognationis addunt, ut gaudere gaudium, iurare iusiurandum, servire servitutem, bellare bellum, coenare coenam, somnium somniare, errorem errare, vitam vivere. Vid. Perizon. ad Sanct. Min. III. p. 301.

## ACT. V. SC. VI.

3. *Nactus.* Nancisci, adipisci, potiri tam de malis quam de bonis dicuntur. Phorm. III. 3. 10. *Non triumpho, ex nuptiis tuis si nil nanciscor mali.* Nep. Attic. c. 21. *nactus est morbum.* Gellius I. 24. *Postquam mortem aptus est Plautus.* *Potiri* in malam partem est Phorm. III. 1. 5. Vid. Gronov. ad Gellii l. c.

9. *Solus es, quem diligunt Di.* Sic legendum; non *solus est.* Vid. Bentleius. His autem verbis summa felicitas describitur. Phorm. V. 6. 15. *Nam sine controversia ab Dis solus*

*diligere.* Sic contra infelici *Deos iratos* dicebant. Vid. Schulting. ad Sen. Controv. I. p. 83.

12. *Tuus est* i. e. tibi favet. Cic. ad Quint. Fr. II. 1. *Plancius totus noster est.* Ovid. Epist. III. 80. *Haec quoque nostra fuit.* Eun. II. 2. 39. *arbitrantur suam Thaidem esse.* Vid. Burmann. ad Ovid. Trist. IV. 4. 23.

13. *Longum est* i. e. nimium temporis elaberetur. Saepe etiam haec formula usurpatur, cum brevitatis causa quaedam praetermittuntur. Ovid. Fast. III. 719. *Sithonas et Scythicos longum enumerare triumphos*, ubi vid. Heinsius. Sic *infinitum est* apud Cic. ad Div. I. 9. Veteres autem fere semper dicunt *longum est*, non *longum foret* vel *esset*, ut hodie loquuntur.

15. *Auferant eam.* Quae per se incedunt, non *auferri*, sed *abduci* dicuntur. Vid. Vorstium de Latinit. merito suspecta c. 16. Sed utitur hic verbo *auferre*, quod puerpera nondum incedere poterat.

---

# IN EUNUCHI

## PROLOGUM.

1. *Studeant* legendum esse, non *studeat*, egregie docet Bentleius. Nam *quisquam* etiam cum plurali verbo construitur. Liv. IX. 36. *eam silvam intrare haud fere quisquam audebant*. Idem XXXVIII. 26. *nec procurrere quisquam ab ordinibus suis, ne nudarent undique corpus ad ictus, audebant*. Sic e mss. restituit magnus Gronovius. At Drakenb. in priore loco revocavit vulgarem scripturam *audebat*, male dubitans an *quisquam* plurali verbo iungatur. Similiter *aliquis* plurale verbum adiunctum habet. Adelph. IV. 4. 24. *aperite aliquis actutum ostium*, ubi vid. Donatus. Gronov. de Pec. Vet. II. 4. p. 167.

2. *Quam plurimis* capiendum, quasi sit vox una; opponitur *minime multis* i. e. paucis. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 7. p. 693. et Bentleius ad h. l.

3. *In his* i. e. inter hos. Nep. Milt. c. 4. *domi creati X praetores, in eis Miltiades*. Vid. Graevium ad Sueton. August. c. 2.

Ibid. *Nomen profitetur*. Hoc dicitur de eo, qui se vult inter aliquos numerari. Loquendi ratio ducta est vel a delectu militari, in quo cives qui conscribebantur, nomina profiteri dicebantur, vel a magistratum petentibus, quorum nulla ratio habebatur, nisi nomina inter candidatos professi essent. Liv. II. 24. *et qui aderant nexi, profiteri extemplo nomina*. Idem XXVI. 18. *ut qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur*.

4. *Inclementius* i. e. asperius, acerbius. Plaut. Amphitr. II. 2. 110. *iterum iam hic in me inclementer dicit*. Liv. IX. 34. *verbo inclementiori appellatum*.

7. *Eas describendo.* Bentleius ex antiquis libris edidit *Qui bene vertendo et easdem scribendo male.* Sensus hic est: Lavinius Luscus bene nimis et fideliter verbum e verbo vertendo easdem male scripsit i. e. malus scriptor Latinus fuit servili illa industria. Bentleianam rationem probat Gesnerus in Thes. L. L. v. *describo.*

11. *Unde petitur* i. e. a quo petitur sive reum. Est ex sermone ICtorum, qui actorem dicunt *petere* et *petitorem*, reum *unde petitur.* Manut. ad Cic. ad Div. VII. 11. et Gronov. ad Senec. de Constant. c. 14. Ridetur autem in poeta ignorantia ordinis iudiciorum; nam actor prius causam dicebat, tum reus qui respondebat.

12. *Quam ille;* supplendum *facit*; alioquin *illum* dicendum erat. Vid. Gifan. ind. Lucret. v. *comparativus.*

15. *Defunctus iam sum* i. e. iam hoc negotio liberatus sum, nihil amplius mihi ab illo metuendum est. *Defunctus aliqua re* proprie dicitur, qui ita illa functus est, ut nihil supersit, quo fungatur, qui agendo et patiendo effecit, ut in posterum ab agendo vel patiendo liber ac solutus sit. Coelius Cic. Epist. ad Div. VIII. 1. *hoc mendacio, si qua pericula imminerent, ut defungeremur, exoptavi* ubi vid. Manut. Liv. II. 35. *adeo infensa erat coorta plebs, ut unius poena defungendum esset patribus* ubi vid. Drakenborch.

17. *Quae nunc condonabitur* i. e. quorum venia nunc illi dabitur. Notanda est rarissima constructio, quam bene tuetur Rivius ad h. l. *Condonare* construitur cum duplici accusativo personae et rei. Phorm. V. 8. 54. *argentum, quod habes, condonamus te.* Iam ut recte dicimus *docere aliquem philosophiam* et in passivo *doceri philosophiam*, sic etiam recte dicitur *condono illos argentum* et *condonantur argentum.*

21. *Perfecit* i. e. effecit. Cic. de Divin. II. 54. *callide perfecit, ut quodcunque accidisset, praedictum videretur.*

Ibid. *Inspiciundi* i. e. examinandi. Cic. pro Caecin. c. 21. *si arma militis inspicienda sint, ita probet armatum.* Iustin. II. 15. *legatos mittunt ad inspiciendam rem.*

22. *Magistratus cum ibi adesset.* Legendum potius *adessent*, quam *adesset.* Magistratus sunt duo aediles, apud quos comoediae privatim agebantur, antequam publice agerentur. Vid. Bentleius ad h. l. Vox *magistratus* apud Veteres non dicitur singulari numero de collegio eorum, qui praesunt rei publicae, ut nunc loquuntur, sed de uno homine, qui honorem gerit v. c. de consule, praetore, aedile. Cum autem de collegio loquuntur, utuntur numero multitudinis. Vid. Graevius ad Iustin. II. 10. et Interpretes ad Liv. XXXIV. 61. 14.

32. *Eunuchum suam. Suam* refertur ad intellectam comoediam.

34. *Prius* i. e. olim. Horat. Carm. II. 4. 2. *prius insolentem Serva Briseis niveo colore Movit Achillem.* Sic *priores* sunt antiqui. Infra II. 2. 15. *saeclum prius.* Vid. Heins. ad Ovid. Met. XV. 104.

39. *Puerum supponi* i. e. falsum pro vero subiici. Infra V. 3. 3. *Qui hunc supposuit nobis* i. e. qui nobis dedit Eunuchum, qui non est Eunuchus.

## ACT. I. SC. I.

2. *Ita me comparem* i. e. ita rationes meas constituam. Eodem sensu dicitur *se parare.* Hec. I. 1. 11. *Quin ita paret se.* Liv. XXV. 23. Vid. Interpretes ad Calpur. Flacc. Decl. 25. p. 823.

4. *Exclusit* i. e. non admisit; proprium verbum in re meretricia. Quinctil. Decl. XV. p. 308. *postquam nihil miseratio, nihil proficiebat humanitas, tentavit asperitate discutere, poposcit; exclusit.* Vid. quae annotavimus ad Xenoph. Mem. III. 11. 18.

6. *Pertendere* est ad finem usque tendere, propositum persequi. Heaut. V. 5. 9. *video non licere, ut coeperam, hoc pertendere.* Vid. Rivium ad h. l.

7. *Pati non poteris* i. e. ubi durare vel vivere sine Thaide non poteris. *Pati* nullo adiecto nominis casu est obdurare, sustinere, graec. *καρτερεῖν*, quam verbi potestatem illustrarunt

viri summi Grotius ad Lucan. V. 314. et Gronov. ad Senec. Thyest. v. 470. Hec. I. 2. 108. *ubi non quit pati.* Heaut. IV. 5. 13. *non possum pati, quin tibi caput demulceam.* Mox v. 9. pro eo dicit *ferre non posse.*

9. *Ilicet* desperantis formula est sicut *actum est*, quae ex iudiciis manavit. Nam praetor cum agendarum rerum finem facere vellet, praeconem clamare iubebat *ilicet* i. e. ire licet. Vid. Donatus ad h. l. Servius ad Aen. II. 424. et Gesner. ad Claudian. Epist. II. 29.

10. *Eludet* i. e. tibi illudet, te irridebit. Liv. XXVI. 22. *eludant nunc antiqua mirantes*, ubi vid. Gronovius. Curt. VIII. 1. *Iovis oraculum eludens.*

Ibid. *Victus* dicitur, qui non potest amori resistere. Infra I. 2. 98. *labascit, victus uno verbo.* Vid. Burmann. ad Ovid. Amor. II. 18. 11.

12. *Consilium* est ratio, *modus* moderatio. Virg. Ecl. II. 68. *quis modus adsit amori.*

20. *Egone illam.* Haec per aposiopesin dicta ita supplenda sunt: egone illam amem, quae illum excepit, quae me exclusit, quae non admisit. Vid. Donat. ad h. l.

Ibid. *Sine* et *sine modo* comicae formulae sunt, quae comminandi vim habent. Infra IV. 6. 1. *sine veniat.* Plaut. Asin. V. 2. 48. *Sine venias modo domum.*

21. *Sentiet* h. e. magno suo malo experietur; *sentire* saepe habet significationem damni ac mali. Horat. Carm. III. 23. 5. *Nec pestilentem sentiet Africum fecunda vitis.* Phaedr. V. 2. 4. *iam curabo sentiat.* Vid. Duker. ad Flor. III. 2. p. 438. et Drakenb. ad Sil. Ital. XII. 27.

22. *Una falsa lacrimula.* Nihil scribi potuit maiore artificio et elegantia exquisitiore. Tales autem falsas lacrimas et vi expressas Virgilius vocat *coactas* Aen. II. 196. ubi vid. Heinsius.

23. *Misere* i. e. valde, vehementer. Rectius tamen Bentleius ex mss. legit *misera* i. e. se miseram fingens.

25. *Nunc* h. l. efficaciam habet et idem valet quod sero, tandem. Vid. Burmann. ad Petron. c. 44. p. 210.

26. *Miserum* scilicet ex amore. *Miseri* saepe apud Comicos dicuntur perdite amantes; * non agnoscunt leges ac iura miseri.

27. *Prudens sciens.* Haec saepe iunguntur. Cic. Epist. ad Attic. X. 9. *nec te sciens prudensque eo demittas, unde exitum vides nullum esse.* Heaut. IV. 1. 20. *certo scio, te inscientem atque imprudentem dicere ac facere omnia.*

28. *Vivus vidensque* est locutio proverbialis, quae fluxit e graec. *ζῶν καὶ βλέπων.* Vid. Lambin. ad Lucret. III. 1059.

30. *Quanti queas.* Sic Plaut. Epid. II. 2. 110. *Quanti emi potest minimo.*

34. *Nostri fundi calamitas* i. e. nostra pernicies. Locutio translata est a re rustica. Nam *calamitas* proprie est grando, quae calamos frangit. Cic. Verr. III. 98. *annona pretium, nisi in calamitate fructuum non habet.* Inde transfertur ad alia damna. Sic Verres apud Cic. Verr. II. 37. *calamitas Siculorum* dicitur et Verr. I. 38. comparatur *calamitosae tempestati.* Vid. Gronov. Obss. III. 9.

35. *Capere* proprie dicitur de reditibus vectigalium. Phorm. V. 3. 7. *ex iis praediis talenta argenti bina capiebat.* Nep. Alcib. c. 9. *ex quo castro quinquagena talenta vectigalis capiebat.*

Ibid. *Intercipere* proprie est in medio aliquid capere, nec pati pervenire ad locum destinatum. Ovid. Met. VIII. 290. de apro, *Cererem in spicis intercipit. Literae* saepius *intercipi* dicuntur. Vid. Gronov. Obss. III. 9. et Perizon. ad Sanct. Min. III. 3. p. 345.

## ACT. I. SC. II.

2. *Aliorsum acceperit* i. e. aliter sive aliam in partem interpretatus sit. Heaut. II. 3. 23. *aliter tuum amorem atque est accipis.*

5. *Ad ignem hunc* i. e. ad hanc tuam amicam. *Ignis* saepe dicitur de amoribus. Virgil. Ecl. III. 66. *At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.* Vid. Heinsius ad Ovid. Epist.

XVI. 102. Ceterum simili sententia dicit Petron. c. 126. *tenta modo tangere corpus. Iam tua flammifero membra calore fluent.* Vid. Interpretes ad Apul. Met. II. p. 105.

Ibid. *Plus satis* i. e. plus quam satis. Infra III. 1. 32. *plus millies iam audivi.* Vid. Interpretes ad Vell. Paterc. II. 1.

7. *Recta* scil. via.

10. *Apud te primus* i. e. praecipuus, quem omnibus anteponis, qui, ut infra v. 71. loquitur, priores partes habet.

11. *Utinam esset mihi etc.* i. e. utinam aequalis et mutuus noster amor esset. Ovid. Epist. XV. 163. *quoniam non ignibus aequis Ureris.* *Aequus* est aequalis. Vid. Burmann. ad Lucan. V. 727. et ad Virg. Aen. IV. 520. Constructione similis est locus Vell. Paterc. II. 31. *essetque ei imperium aequum in omnibus provinciis cum proconsulibus.*

16. *Quo* pro quod, quoniam. Cic. pro Rosc. Am. c. 18. *neque ego haec profero, quo conferenda sint cum hisce.* Liv. XL. 26. *vim morbi in causa esse, quo serius perficeretur*, ubi vid. Interpretes. *Eo* est *ideo.* Heaut. III. 2. 43. *neque eo nunc dico, quo quicquam illum senserim.*

17. *Ita erat res* i. e. ita res postulabat, ita opus erat. Plaut. Menaech. V. 1. 37. *ut veniat ad me; ita rem esse dicito.*

18. *Ut fit* i. e. fieri solet. Liv. IV. 52. *pestilentem annum inopia frugum, ut plerumque fit, excepit.* Vid. Drakenb. ad Liv. VI. 34. 5.

19. *Sicine agis.* Hac formula utuntur, qui aegre ferunt quod dicitur et indignantur. Infra IV. 7. 34. Adelph. I. 2. 48.

23. *Contineo* i. e. custodio, ne proferantur, reticeo. Cic. de Orat. I. 47. *petimus ab Antonio, ut ea quae continet neque adhuc protulit, explicet nobis.* A vasis, unde nihil effluat, metaphoram esse bene vidit Donatus. Vid. Vavassor de vi et usu quorund. verb. p. 511.

25. *Plenus rimarum sum.* Continuat metaphoram a vasis desumtam. Sic Horat. Serm. II. 6. 46. *Et quae rimosa bene deponuntur in aure.* Pro *perfluo* Bentleius legit *perpluo*, sed elegans est vulgata scriptura. Nam *fluere* non solum liquor dicitur, sed et alia. Sic apud Liv. I. 59. *cultrum cruore ma-*

*nantem*, apud Ovid. Met. VI. 312. *lacrimas etiamnum marmora manant.* Vid. Gronov. et Ernest. ad Taciti Ann. II. 23.

27. *Rhodi* pro *in Rhodo.* Nam nomina insularum et regionum saepe construuntur ut nomina urbium. Virg. Aen. III. 162. *aut Cretae iussit considere.* Iustin. XXXIX. 4. *nec filium regno expulisse contenta, bello Cypri exsulantem persequitur.* Val. Max. IV. 1. *filios suos Aegypti occisos esse cognovit.* Vossius de Constr. c. 25. p. 402.

33. *Per aetatem* i. e. propter aetatem. Adelph. V. 8. 8. *parere iam diu haec per annos non potest.* Vid. Drakenb. ad Liv. XXXIII. 18. 22.

37. *Docere* i. e. aliis docendam tradere. Sic *erudire* apud Nep. Attic. c. 1. *filium erudivit* i. e. magistris erudiendum tradidit.

Ibid. *Ita ut si esset filia* i. e. ac si esset filia. Omissa particula *ita*, Phorm. II. 3. 62. *itidem ut cognata si sit.* Eodem sensu iunguntur *ut si* apud Cic. de Off. I. 14. *in eadem sunt iniustitia, ut si in suam rem aliena convertant.* Nep. Datam. c. 3. *sinistra copulam gerens, qua vinctum ante se Thyum agebat, ut si feram bestiam captam duceret.*

39. *Quocum rem* i. e. consuetudinem veneream. Hec. IV. 4. 96. *si cum illo habuerit rem postea.*

40. *Reliquit* scil. testamento. Verbum *relinquere* proprie dicitur de haereditate et legatis, quae testamento dantur.

43. *Bonus* h. l. idem est quod *magnus.* Horat. Serm. I. 1. 61. *at bona pars hominum,* ubi vid. Schol. Utrumque etiam coniungit Val. Max. II. 9. 7.

46. *Interea loci* i. e. interim. Infra II. 2. 24. *interea loci ad macellum ubi advenimus.* Liv. XXV. 19. *et quibus artibus ad id locorum nostri et duces et exercitus capti essent.* In his locutionibus *locus* pro *tempore* sumi debet. Gronov. ad Liv. XXVII. 7. 17. et Cortius ad Sallust. Iug. c. 63. 6.

51. *Ad rem* i. e. ad patrimonium conservandum et augendum. Adelph. V. 3. 48. *adtentiores sumus ad rem omnes, quam sat est.*

53. *Fidibus scire.* Elliptica locutio, in qua supplendum *canere*, ut plene dixit Cic. Tusc. Disp. I. 2. Sic *fidibus docere* apud eund. ad Div. IX. 22. et *fidibus discere* de Senect. c. 8. Gronov. ad Liv. XXIX. 1. 8.

54. *Producit* i. e. venalem exponit. Verbum proprium hac in re, maxime de animatis. Heaut. I. 1. 92.

Ibid. *Forte fortuna* i. e. feliciter. Hae voces saepe iunguntur et semper in bonam partem dicuntur. Phorm. V. 6. 1.

58. *Sedulo* i. e. data opera. Liv. II. 58. *tardius sedulo incedere.*

59. *Si fidem habeat* i. e. si efficiam argumento aliquo, ut mihi credat. Sic *fidem dare* est Andr. II. 3. 27.

63. *Adiicere animum ad aliquid* est cupiditatem alicuius rei nancisci. Plaut. Merc. II. 2. 62. *ne ad illam me animum adiecisse aliqua sentiat.* Liv. XXII. 22. *obsidibus potissimum tradendis animum adiecit.*

Ibid. *Etiamne amplius* mira verecundia dixit pro eam stupravit. Vid. not. ad Andr. II. 1. 25.

65. *Quamobrem cupio.* Usitatius esset *quamobrem cupiam.* Saepe tamen interrogationes cum indicativo construuntur. Vid. quae notavimus ad Rutil. Lup. II. p. 98.

67. *Sola sum;* hoc statim explicat addens *habeo neminem neque amicum neque cognatum.* Sic *solitudo* dicitur de liberis, qui parentibus orbati sunt. Cic. Verr. I. 58. *ut illorum solitudo quam firmissimo praesidio munita sit.* Vid. Gronov. ad Senec. Consol. ad Marc. c. 24.

69. *Parare amicos.* Bentleius ex metri rationibus legit *parere amicos.* *Parere* idem est quod parare, acquirere. Andr. IV. 5. 2. *optavit parere hic divitias.* Infra V. 2. 32. *ut solidum parerem hoc mihi beneficium.* Liv. XLII. 11. *accessisse ad vires eam, quae longo tempore pareretur, auctoritatem* ubi vid. Drakenborch.

71. *Priores partes habere* i. e. tibi praeferri. *Partes* proprie in scena sunt, quae quisque actorum sub alterius persona recitat. Hinc histrionum alii *primarum*, alii *secundarum*, alii *tertiarum partium* dicuntur. Inde ad alia transfertur. Cic. pro

Flacco c. 27. *servus primarum partium.* Liv. III. 10. *fabulam compositam Volsci belli, Hernicos ad partes paratos*, ubi vid. Drakenb. Contra *posteriores*, omissa voce *partes*, est Adelph. V. 4. 26. Victorius V. L. III. 18. et Valesius in Maussaci Not. in Harpocr. p. 117.

Ibid. *Hosce aliquot dies.* Pronomen *hic* temporum nominibus adiunctum significat tempus vel proxime elapsum vel proxime futurum. Infra II. 3. 40. *his mensibus sex septem.* Apud Graecos *οὗτος* eandem vim habet. Vid. L. Bosii Exercit. philol. p. 75.

74. *Vir es* i. e. fortis es, audes aliquid. Frequens apud Livium et alios formula est *si vir es, si viri estis.* Vid. Drakenborch. ad Liv. III. 67. 3.

75. *Haud ego nesciebam.* Rectissime e mss. edidit Bentleius *at ego nescibam.*

Ibid. *Quorsum tu ires* i. e. quorsum tenderet oratio tua, quid dicere velles. Adelph. V. 3. 35. *istuc ibam* i. e. hac de re dicere volebam. Supra v. 44. similiter de sermone tanquam de itinere locutus est *sine me pervenire quo volo.*

80. *Istam times, ne illum talem praeripiat tibi.* Hoc dicitur pro times, ne ista illum talem praeripiat tibi. Sic saepe in priore parte orationis ponitur accusativus pro nominativo in posteriore. Infra V. 8. 5. *scisne me in quibus sim gaudiis.* Cic. ad Div. IV. 1. *rem vides quomodo se habeat.* Haec loquendi ratio ab utriusque linguae scriptoribus frequentatur in verbis sciendi, videndi et similibus. Vid. Gronov. ad Senec. de Benef. IV. 32. et Perizon. ad Sanctii Min. II. 5. p. 185.

81. *Talem* i. e. virum tantum, tam egregium. Est per ironiam capiendum. *Talis* dicitur de illis, qui propter animi corporisque bona laude digni sunt. Adelph. III. 1. 10. *talem, tali genere et animo.* Sallust. Iug. c. 63. *tamen is talis vir ad id locorum petere non audebat.* Sic *qualis* pro quam excellens. Ovid. Fast. V. 460. *qui modo qualis eram*, ubi vid. Heinsius.

84. *In te claudier.* Bentleius legit *intercludier.* Vid. notata ad Andr. III. 3. 41.

85. *Ex Aethiopia ancillulam* i. e. ancillulam Aethiopissam. Sic apud Liv. I. 50. *Turnus ab Aricia* est *Turnus Aricinus*. Virg. Georg. III. 2. *pastor ab Amphryso*. Vid. Buchner. de commut. rat. dicendi p. 329. Meretrices etiam lautarum feminarum exemplo ancillis et eunuchis fuscis ad ministeria uti solebant. Vid. Tibull. II. 6. 37. et ibi Broukhusius.

87. *Velle te* scil. habere. *Volo* et *nolo* cum absolute ponuntur, semper supplendum est verbum conveniens sententiae. Vid. Duker. ad Flor. III. 1. p. 432.

88. *Reginae* sunt matronae nobiles et opulentae, ut bene Donatus exponit; ita etiam *rex* pro homine potenti. Phorm. II. 2. 24. *nemo satis pro merito gratiam regi refert.* Sed et clientes patronos divites et potentes vocabant *reges*. Horat. Epist. I. 17. 43. Notanda vero h. l. enallage numeri. Nam cum dixisset *eunuchum* in singulari, subiicit *his* in plurali, cuius commutationis exempla vid. apud Cic. de Off. II. 11. et alios, quos laudant Gronovius de Pec. Vet. II. 4. p. 167. et Burmann. ad Val. Flacc. VIII. 178.

95. *Ex animo ac vere* i. e. ex animi sententia, non simulate aut ficte. Catull. CX. *Atque id sincere dicat et ex animo*.

98. *Labascit* i. e. labi incipit, multum de constantia remittit. Plaut. Rud. V. 3. 38. *leno labascit*. Metaphora ducta ab arbore, quae multis succisa ictibus ruinam minatur. Vid. Donat. ad Adelph. II. 2. 31.

Ibid. *Victus uno verbo.* Apposite Propertius II. 5. 15. *Quam facile irati verbo mutantur amantes.*

104. *Biduum aut;* volebat addere triduum, sed Phaedria interrumpit sermonem.

Ibid. *Nihil moror* est formula aliquid contemnentis, certe non magnopere desiderantis, usitata apud veteres scriptores. Plaut. Most. III. 2. 59.

106. *Merito amo te; bene facis* sunt formulae gratias agentis. Cic. ad Att. I. 3. *te multum amamus quod ea abs te diligenter curata sint.* Infra III. 2. 3. *ecquid nos amas de fidicina isthac.* Utraque formula etiam iungitur Adelph. V. 8. 22.

7

111. *Numquid vis aliud.* Hac formula discedentes rogant, num quid sibi mandare velint. Infra II. 1. 7. *numquid aliud imperas?* Plaut. Aulul. II. 2. 85. *ibo igitur, parabo: numquid me vis?*

114. *Me somnies.* Sic Ovidius Epist. XV. 123. *Tu mihi cura Phaon, te somnia nostra reducant.* Vid. Broukhus. ad Propert. I. 11. 5.

117. *Forsitan hic mihi parum habeat fidem.* Bentleius legit *forsan parvam hic habeat mihi fidem*, ut Phorm. V. 3. 27. *itane parvam mihi esse fidem apud te.* Sed videndum an *parum fidem* defendi possit ex iis, quae annotavit Burmann. ad Ovid. Met. III. 149. et ad Virg. Aen. III. 348.

122. *Quidquid huius feci* scil. *rei.* Pronomina quidquid, quidnam, quid, id, idem, aliquid, saepe cum genitivo construuntur. Vid. Interpretes ad Liv. XXXII. 37. 5.

124. *Adeo* quidam explicant valde, sane, sed potius abundare videtur. Vid. Donat. ad h. l. et Duker. ad Flor. I. 18. p. 183.

125. *Ad me domum*; sic Latini saepe dicunt pro domum meam. Infra III. 5. 28. *ad se abducit domum.* Hec. V. 3. 24. *ad me confugere domum.*

Ibid. *Constituere alicui* vel *cum aliquo* est convenire cum aliquo de loco, tempore et negotio, ubi, quando et quare coeatur. Hec. I. 2. 120. *nam constitui, cum quodam hospite me esse illum conventuram*, ubi vid. Donatus. Titinius apud Non. Marcell. p. 406. *si rus cum scorto constituit ire.* Iuven. Sat. III. 12. *Hic ubi nocturnae Numa constituebat amicae.* Hanc verbi vim pulcre explicuit Gronovius Obss. I. 1.

## ACT. II. SC. I.

3. *Rogitare* per ellipsin dicitur pro: an opus est rogitare.

4. *Invenire* i. e. parare, acquirere, ut Andr. I. 1. 39. *invenias laudem.*

8. *Munus nostrum ornato verbis* i. e. munus commendato, praestantiam muneris verbis augeto. Cic. de Off. II. 20. *neque vero verbis auget suum munus.* Plin. Epist. I. 8. *qui be-*

*nefacta sua verbis adornant*, ubi vid. Cortium. Iustin. XV. 1. *adiecto honore verborum.* Quinctil. Decl. XIII. p. 287. *parvis munusculis adiicere commendationem.*

9. *Quod poteris* i. e. quantum poteris. Cic. ad Div. I. 1. *quod commodo rem facere possis*, ubi vid. Graevius. Heaut. III. 1. 7. *quod potero adiutabo senem.*

11. *Censeo* ironice est negantis se censere, ut *audio* et similia. Vid. Bentleius ad h. l.

Ibid. *Obfirmare;* suppl. me vel animum. *Obfirmare se vel animum* est persistere in proposito, pertinaciter propositum persequi. Heaut. V. 5. 8. *obfirmate.* Plaut. Mercat. I. 1. 81. *ut ut animum obfirmo meum.*

13. *Horsum* i. e. huc versum. Hec. III. 4. 36. *horsum pergunt.*

Ibid. *Insomnia* singulari numero femin. gen. est defectus somni, vigilia, graec. ἀϋπνία. Sallust. Catil. c. 27. *neque insomniis neque labore fatigari* ubi vid. Cortius. *Insomnia* in plurali sunt somnia. Broukhus. ad Tibull. III. 4. 1. et Bentleius ad h. l.

14. *Opus faciam* i. e. agrum colam. *Opus* per excellentiam dicitur de opere rustico. Cic. de Senect. c. 7. *opera maiora in agro fiunt.* Lactant. de Ira Dei c. 13. *animalia facta esse partim ad vestitum partim ad operis auxilia.* Heaut. I. 1. 21. Adelph. IV. 1. 2. Sic etiam apud Graecos sumuntur ἔργα et ἐργάζεσθαι. Vid. Graevii Lect. Hesiod. p. 50.

14. *Ingratiis* i. e. invitus, contra voluntatem. Proprie est ablativus adverbialiter positus. Vid. Interpretes ad Nep. Them. c. 4. Comici semper dicunt *ingratiis*, alii scriptores *ingratis.* Cic. Verr. IV. 9. *dicent quae necesse erit ingratis.* Oudendorp. ad Apul. Met. I. p. 80.

16. *Me indulgeo* antique pro *mihi.* Sic Heaut. V. 2. 35. Vid. Donat. ad h. l. et Cort. ad Sallust. Catil. c. 2. 9.

18. *Vide quid agas.* Hac formula aliquem monemus, ne rem difficilem et periculosam suscipiat. Infra V. 4. 42.

Ibid. *Stat sententia* i. e. decrevi. Ovid. Met. I. 243. *sic stat sententia.* Vid. Sigon. ad Liv. XXI. 29. 5. Etiam *stat*

absolute sic dicitur. Cic. ad Att. III. 14. *neque adhuc stabat, quo potissimum.* Eodem modo dicitur *sententia* vel *consilium sedet.* Flor. II. 15. 9. et Duker. in ind. v. *sedere.*

19. *Homines* praecedit et sequitur *eundem.* De huiusmodi mutatione numeri paulo ante diximus.

20. *Nemo quisquam;* abundat *quisquam.* Hec. I. 1. 10. *nemo illorum quisquam.* Sic etiam dicitur *nemo unus.* Drakenborch. ad Liv. III. 12. 4.

24. *Turpiter se dare* dicitur, qui cum ludibrio et dedecore discedit.

Ibid. *Decrepitus* eunuchus dicitur, quod eunuchi plerumque vultu similes sunt senibus. Infra IV. 4. 21. eum vocat *veterem*, *veternosum*, *senem.* De voce *decrepitus* vid. Festus et ibi Scaliger.

## ACT. II. SC. II.

1. *Stulto intelligens quid interest* i. e. quae est differentia inter stultum et sapientem. Eadem constructione Adelph. I. 1. 51. *hoc pater ac dominus interest.* Vid. Perizon. ad Sanctii Min. III. 5. p. 417.

3. *Adveniens* h. e. cum advenissem. Hoc Graeci clarius explicant per eorum participia, Latini autem per verba deponentia. Vid. Casaubon. ad Sueton. Caes. c. 20. et Perizon. ad Sanctii Min. I. 15. p. 128.

Ibid. *Locus* tum de genere dicitur tum de sorte, condítione, dignitate, in qua quis positus est. Sallust. Catil. c. 23. *natus haud obscuro loco.* Cic. de Amicit. c. 25. *loco, fortuna, fama superiores*, ubi vid. Graevius. Sic etiam *ordo* accipitur. Plaut. Aulul. II. 2. 55. *et meus me ordo irrideat.*

4. *Haud impurum* h. e. non improbum, non malum. Heaut. IV. 1. 16. *anus haud impura.*

Ibid. *Abligurierat bona* i. e. per luxum absumserat. Cic. Catil. II. 5. *fortunas suas abligurierunt.* *Ligurire* proprie est suavissima quaeque in coena carpere. Vid. infra V. 4. 14. et Donatus ad h. l.

5. *Sentum* i. e. horrentem illuvie, incultum. Locutio desumta est ab agris, qui proprie dicuntur *senti*, cum sentibus spinisque obruti sunt. Virg. Aen. VI. 462. *per loca senta situ*, ubi vid. Servius.

Ibid. *Pannis annisque obsitum* i. e. senem indutum vili centone. Nam *panni* proprie sunt centones. Heaut. II. 3. 53 *ancillula erat, pannis obsita, neglecta.* Sueton. Calig. c. 35. *pannis obsitum vicatim circumduci. Annis obsitum* dixit Terentius ut Virg. Aen. VIII. 307. *ibat rex obsitus aevo. Obsitus* proprie dicitur de agro, qui plenus est malarum herbarum, veprium et sentium. Vid. Interpretes ad Liv. I. 14. 7. et Burmannus ad Lucan. V. 627.

6. *Ornati* antique pro *ornatus.*

7. *Noti* active dicuntur, qui me norunt. Cic. Verr. I. 7. *putabam non solum notis sed etiam ignotis probatam meam fidem esse.* Vid. Burmann. ad Petron. c. 112. p. 521. et Interpretes ad Auct. B. Hisp. c. 3.

9. *Parasti te* i. e. rationes tuas instituisti. Hec. I. 1. 11. *ita parat se.* Vid. Bentleius ad Horat. Epist. I. 18. 112.

10. *Consilium cum re* dicitur pro *consilium* et *res.* Cic. Tusc. Disp. III. 18. *Quod si cui simul animus cum re concidit.* Duker. ad Liv. XXXI. 36. 7.

11. *Nitor, nitere, nitidus* proprie dicuntur de corpore bene habito, quod pinguedine splendet. Horat. Epist. I. 4. 15. *me pinguem et nitidum bene curata cute.* Phaedr. III. 7. 4. *unde sic quaeso nites,* ubi vid. Interpretes et Broukhus. ad Tibull. II. 1. 21. Sed Bentleius legit *qui color, qui nitor vestitus,* ut *color* et *nitor* ad vestitum pertineant.

Ibid. *Habitudo corporis* est habitus corporis solidus et succi plenus, ut dicitur infra II. 3. 26., nec nimis pinguis nec nimis macilentus. Infra II. 3. 23. *paulo habitior* opponitur gracili. *Habitudinem* Cic. pro Coel. c. 24. vocat habitum optimum. Vid. Pricaeum ad Apul. Met. I. p. 51. Graeci ἕξιν dicunt. Vid. Casaubonus ad Athen. I. 20. p. 61.

12. *Desit* i. e. deficit. Idem verbum est Phorm. I. 3. 10. et Hec. V. 2. 1. Vid. Broukhus. ad Tibull. IV. 1. 100.

13. *Neque ridiculus esse neque plagas pati.* Parasitorum duplex genus erat; alii enim scurrilibus dictis victum sibi quaerebant, alii alapis aliisque contumeliis patiendis.

15. *Quondam* est aliquando, quam vocis significationem exemplis illustrat Heinsius ad Ovid. Epist. XVII. 71.

16. *Aucupium* est ars decipiendi homines. Plaut. Mil. IV. 1. 43. *viden tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus.*

Ibid. *Invenire viam* est rationem agendi invenire. Virg. Aen. IV. 478. *inveni, germana, viam*, ubi vid. Servium. Iustin. I. 10. *ipsi viam invenerunt, qua de se iudicium religioni et fortunae committerent.*

17. *Primos omnium rerum* i. e. primos omnium hominum. Nam *res* etiam ad personas transfertur, ut πρᾶγμα apud Graecos. Senec. Epist. 95. *homo sacra res.* Frequens apud poetas *pulcherrime rerum* pro pulcherrime hominum. Vid. Gronov. Obss. IV. 15.

21. *Imperavi mihi.* Hoc facere is dicitur, qui quid etsi libenter non agit, tamen agere constituit. Coel. Cic. ad Div. VIII. 9. *amabo te, impera tibi hoc curae.* Curt. V. 7. *Imperaverunt sibi ut crederent.* Senec. de Ira II. 12. *quodcunque sibi imperavit animus, obtinuit.*

22. *Omnia* adverbialiter pro *per omnia.* Senec. Consol. ad Marc. c. 25. *tramites omnia plani*, ubi vid. Gronovius. Sic dicitur *cuncta, cetera, alia.* Vid. Heinsius ad Claudian. Stilich. I. 29. et Bentleius ad Horat. Epist. I. 10. 3.

24. *Macellum* est locus, ubi carnes et omne obsoniorum genus venduntur; ea qui vendunt *macellarii* dicuntur. Sueton. Caes. c. 26. ibique Casaubonus.

25. *Cetarii* sunt, qui pisces grandiusculos et salsamenta vendunt. *Cete* enim dicitur omnis piscis magnus. Vid. Donatus ad h. l.

Ibid. *Fartores* sunt, qui aves farciunt et saginant. Vid. Columell. de R. R. VIII. 7. et Burmannus ad Petron. c. 69. p. 343.

29. *In tantum honorem* pro in tanto honore. Nam Veteres saepe accusativum pro ablativo ponunt. Vid. Gellium I. 7. Sic Cicero promiscue dicit *esse in potestatem* et *esse in potestate*. Hirt. B. G. VIII. 8. *in conspectum hostium exercitum adducit*, ubi vid. Davis. Liv. XXX. 10. *in animum habere*. Vid. Berger. de natural. pulcritudine orationis p. 35. et Interpretes ad Liv. II. 14. 4.

31. *Sectari* scilicet ut discipulus magistrum, unde *sectatores* discipuli saepe dicuntur a Gellio.

32. *Disciplina* exquisite ponitur pro secta. Cic. de N. D. I. 7. *tres trium disciplinarum principes convenistis*. Lactant. II. 8. *ut Epicurus nomine suo constitueret disciplinam*. Bentleius e mss. legit *tanquam philosophorum habent discipuli ex ipsis vocabula*, quod praeferendum videtur.

37. *Frigent* h. e. parum gratia valent. Ut vigens amor et gratia calori, sic eadem languescens et remissa frigori assimilatur. Hor. Serm. II. 1. 62. *ne quis amicus frigore te feriat* i. e. gratiam tuam extinguat. Sueton. Aug. c. 66. *ex levi frigoris suspicione*, ubi vid. Interpretes. Sic Leg. 32. §. 12. Pand. de donat. inter vir. et uxor. *frigusculum* est amor remissus inter virum et uxorem; de qua voce vid. Duker. de Latinit. Vet. ICt. p. 403. Sic *frigere* etiam dicuntur oratores, musici et actores, qui non placent audientibus. Cic. Brut. c. 50.

40. *Summum suum* scil. amicum. Eadem ellipsis Adelph. III. 2. 54. *nam is nostro Simulo fuit summus*.

42. *Quid videtur hoc tibi mancipium* i. e. quale. Andr. IV. 2. 19. *quis tibi videor*. Cic. ad Div. IX. 21. *quid tibi ego in epistolis videor*. Virg. Aen. IV. 10. et 47. et ibi Servius.

43. *Uro hominem* i. e. molestia ac dolore afficio, vexo. Infra III. 1. 48. *te ut male urat*. Sueton. Tib. c. 66. *urebant anxiam mentem varia undique convicia*. Flor. II. 6. 2. *urebat nobilem populum ablatum mare*, ubi vid. Dukerus.

Ibid. *Ut falsus animi est* i. e. fallitur, pro quo Andr. IV. 1. 23. dicitur *falsus es*. Genitivus *animi* per graecismum ponitur pro *animo*. Vid. Interpretes ad Liv. VI. 11. 3.

50. *Nusquam* hic de motu ad locum dicitur. Adelph. II. 2. 38. *nusquam abeo.*

Ibid. *Dare operam alicui* significat alicui officium praestare, aliquem adiuvare. Phorm. I. 2. 37. *operam dabamus Phaedriae* i. e. una aderamus et qua re poteramus, adiuvabamus. Vid. Gronov. Lect. Plaut. p. 69.

53. *Uno digitulo* i. e. facillime. Trabea apud Cic. Tusc. Disp. IV. 31. *adveniens digito inpellam ianuam: foris patebit.* Duker. ad Flor. IV. 2. p. 688.

54. *Istas insultabis frustra.* Verba, quae cum praepositione *in* composita sunt, plerumque duplici modo construuntur, vel cum accusat. vel cum dativo. De verbo *insilire* cum accus. vid. Heinsius ad Ovid. Met. VIII. 142.

59. *Custos.* Excubias agebat in Piraeo adversus praedonum incursus. Vid. Donatus ad h. l. et notat. ad Andr. I. 1. 24. *Publice* est publica auctoritate. Cic. Verr. II. 47. Liv. IV. 13. 8. ubi vid. Gronovius.

60. *Non temere est* i. e. non sine gravi causa. Est elegans et frequens apud Comicos formula. Plaut. Aulul. IV. 3. 1. *non temere est, quod corvus cantat mihi nunc ab laeva manu.* Vid. Heins. ad Virg. Aen. IX. 375.

## ACT. II. SC. III.

2. *Neque ego* scil. usquam sum. Est exclamatio desperantis.

5. *Faciem* Donatus accipit de toto corporis habitu et specie. Plaut. Asin. II. 3. 19. *Qua facie vester Saurea est.* Cic. pro Rosc. Com. c. 10. *facies non erat, ars erat pretiosa.* Vid. Broukhus. ad Propert. IV. 4. 21.

6. *Quotidianarum formarum* i. e. vulgarium, quae quotidie occurrunt. Cic. ad Div. IX. 21. *Epistolas quotidianis verbis texere solemus.* Quas Terentius *formas quotidianas*, Propert. I. 4. 9. vocat *leves figuras.* Notandum vero puellas exquisite dici *formas* vel *figuras.* Propert. II. 28. 53. *Et quot Troia tulit, vetus et quot Achaia formas.* Burmann. ad Quinctil. Decl. XV. p. 307.

Ibid. *Ecce autem alterum.* Propria formula in rebus improvisis. Adelph. V. 1. 5. *ecce autem hic adest senex.* Liv. VII. 35. *ecce autem aliud minus dubium*, ubi vid. Interpretes.

8. *Ludum iocumque dices fuisse illum alterum* h. e. illius amorem levem fuisse, si cum huius furore comparetur. Liv. XXVIII. 42. *nae tibi ludus et iocus fuisse Hispaniae tuae videbuntur.* Valer. Max. V. 1. *quae tibi relata sunt, prae iis, quae de te locuturi eramus, ludus ac iocus fuissent.* Vid. Gronov. Obss. IV. 10. et Graevius ad Iustin. XXIX. 3. Haec elegantia e graeco fonte fluxit. Vid. Casaubon. ad Athen. I. 25. p. 76.

10. *Ut* ponitur pro utinam. Heaut. IV. 6. 6. *ut te quidem omnes Di Deaeque perduint.* Ovid. Epist. XIII. 161. *quod ut videam canis albere capillis.*

11. *Qui illum flocci fecerim* i. e. qui eum tanti fecerim quanti floccum, qui ullam eius rationem habuerim. *Flocci facit*, qui aliqua ex parte aliquem contemnit, *non flocci facit*, qui plane pro nihilo habet. Vid. Rivium ad h. l.

12. *Alacris* i. e. incitatus, commotus.

13. *Unde is* i. e. unde venis. Adelph. III. 3. 7. *Syrum ire video.* Virgil. Aen. II. 375. *nunc primum a navibus itis.*

17. *Utilitas* est opera, quae alteri praebetur. Cic. ad Div. XVI. 3. *utilitatibus tuis possum carere* ubi vid. Manutius.

18. *Cellae* et *cellulae* dicuntur habitationes servorum. Sueton. Calig. c. 57. et Vitell. c. 16.

19. *Hoc factum est.* Formula de re vera et minime dubia. Petron. c. 76. *factum, non fabula.* Quinctil. Decl. X. p. 224. *certum est, factum est, eripi non potest*, ubi vid. Burmannus.

Ibid. *Appareant* i. e. re ipsa praestentur.

20. *Ubi nervos intendas* i. e. in qua omnibus viribus nitaris. Q. Cic. de petit. consul. c. 14. *plane sic contende omnibus nervis et facultatibus. Nervi* metaphorice dicuntur, quae maximam vim habent, quoniam robur corporis in nervis situm est; hinc *exsecare, incidere, praecidere nervos* significat vires infringere. Vid. Interpret. ad Liv. VII. 39. 6. Ceterum

simul in hac locutione ad significationem obscoeniorem alludi videtur. Vid. Casaub. ad Athen. I. 5. p. 22.

22. *Demissis humeris* i. e. molliter deductis, non exstantibus. Veteres luxuriantem humerorum habitum in puellis fasciis castigare solebant. Vid. Scalig. ad Varron. de L. L. IV. p. 56.

Ibid. *Vincto pectore* scil. fasciis. Veteres non amabant virgines mammosas, itaque strophio vel fasciis pectoralibus papillarum tumorem cohibebant. Martial. XIV. 134. *fascia crescentes dominae compesce papillas.* Vid. Scaliger l. c. et Lindenbrog. ad h. l. et Heins. ad Ovid. Art. Am. III. 274. Aliis tamen tumidae papillae placuerunt. Vid. quae annotavimus ad Iul. Rufin. p. 259.

Ibid. *Gracilae* legendum est ex antiquis grammaticis, non *graciles*. Vid. Bentl. ad h. l. Multa adiectiva simul exeunt in *us* et *is*, ut imbellus, is, hilarus, is, imbecillus, is. Vossius de Anal. I. 36. p. 172.

23. *Habitior* i. e. plenior, corpulentior. Vid. notat. ad II. 2. 11.

Ibid. *Deducunt cibum* h. e. demunt aliquid de cibo, quem dare solent. Sic Cic. de Off. I. 18. *addendo deducendoque videre, quae reliqui summa fiat* et Liv. VI. 15. *deducite de capite, quod usuris pernumeratum est.*

24. *Curatura* i. e. nimia cura et diligentia. Veteres grammatici *cura* dicunt esse mentis, *curatio* medicinae, *curatura* diligentiae, quod discrimen non perpetuum est. Nam *cura* et *curatio* saepe de corpore dicuntur. Vid. Gronov. Obss. I. 23. et Bentlei. ad Horat. Epist. I. 1. 194.

Ibid. *Iunceas* i. e. tenues, graciles instar iunci.

25. *Itaque ergo;* hae particulae per pleonasmum saepe iunguntur. Vid. Gronov. ad Liv. III. 31. 5.

Ibid. *Quid tua istaec* i. e. qualis est ea quam amas.

Ibid. *Nova figura oris* i. e. non vulgaris, sed mira, inusitata. Sic *novus* in utramque partem dicitur. Adelph. IV. 7. 4. *nova flagitia.* Phorm. V. 8. 79. *novo modo facere contumelias.*

26. *Color verus* i. e. naturalis, non fucatus. Ovid. Art. Am. III. 164. *Et melior vero quaeritur arte color.*

Ibid. *Corpus solidum* i. e. cuius carnes firmae sunt, non flaccidae, quale describit Auct. dial. de Orat. c. 21. Elegans est locus Lucilii ap. Non. Marcell. p. 391. *hic corpus solidum invenies, hic stare papillas pectore marmoreo.* Ovidius Epist. IX. 60. Herculi tribuit *solidos toros. Solido* corpori opponitur fluxum apud Tacit. Hist. II. 32.

Ibid. *Succi plenum* i. e. bono habitu. *Succus* proprie est humor in corpore, quem bene valentes ex alimentis trahunt. Vid. Donatus ad h. l.

27. *Vi, clam, precario* i. e. quocunque modo. Formula desumta est ex Iure civili, ubi haec tria saepe iunguntur. Vid. Brisson. de Verb. signif. s. v.

31. *Stomachabar* i. e. aegre ferebam. Cic. ad Attic. XIV. 21. *amariorem me senectus facit, stomachor omnia. Stomachus* metaphorice est patientia hominis vel animus in rebus aut probandis aut fastidiendis. Cic. ad Div. II. 16. *ut scires me tamen in stomacho solere ridere*, ubi vid. Manutius.

34. *Scelus* h. l. est infelicitas. Martial. Epigr. VII. 14. *accidit infandum nostrae scelus, Aule, puellae.* Vid. Bentlei. ad h. l. Sic *sceleratum frigus* pro noxio, apud Virg. Georg. II. 256. *scelesta plebs* pro infelice apud Hor. Carm. II. 4. 17. Sic *campus, vicus, porta scelerata.* Vid. Duker. ad Flor. I. 12. p. 96.

39. *Liquet mihi deierare* i. e. liquido deierare possum. Vid. not. ad Andr. IV. 3. 14. *Deierare* est valde, sancte iurare. Nam *de* in compositis vim auget, sic *deamare* est valde amare, *demirari* valde mirari. Hec. V. 2. 5. *Bacchis deierat persancte.* Broukhus. ad Propert. IV. 3. 42.

40. *Sex septem* eleganter pro sex aut septem. Cic. ad Attic. X. 8. *sex septem diebus.* Lambin. ad Horat. Epist. I. 1. 58.

42. *Monstri simile est* i. e. res est miranda. Cic. pro Ligar. c. 4. *prodigio simile est, quod dicam.* Duker. ad Flor. III. 4. p. 462.

43. *Quam longe* i. e. valde longe. Longe dicitur pro e longinquo.

48. *Advocati* Terentii et Ciceronis tempore dicebantur amici, quos qui iudicio periclitarentur ad se vocabant, ut se consilio, gratia, supplicando, aut alia quavis opera iuvarent et praesentiam suam commodarent. Qui autem causas orabant, *patroni causarum* vocabantur. Vid. Ascon. Ped. in Cic. Div. in Caecil. c. 4. Sed postea etiam illi, qui causas agebant, *advocati* dicti sunt. Gronov. Lect. Plaut. p. 152.

49. *Rogo num quid velit* est formula abeuntis. Donat. ad h. l. Hunc locum imitatur Hor. Serm. I. 9. 6. *cum assectaretur, num quid vis? occupo.*

50. *Recte.* Elegantissima formula respondendi, qua vel gratias agimus oblato beneficio non utentes, vel comiter et urbane aliquid recusamus. Heaut. III. 2. 7. *quid tu isthic? recte* i. e. nihil, ubi vid. Bentl. Adelph. IV. 5. 19. *quid est? nihil, recte, perge.* Pro *recte* Horatius *benigne* dixit Epist. I. 7. 16. Gronov. ad Plaut. Captiv. II. 2. 105. et Perizon. ad Sanct. Min. IV. 14. 24. p. 758. Graeci dicunt. *κάλλιστα* vel *καλῶς ἔχει.* Casaub. Lect. Theocr. c. 16. et Kuster. ad Aristoph. Ran. v. 511.

51. *Commodum* ut adverbium ponitur pro *hoc ipso tempore.* Phorm. IV. 3. 9. *id cum hoc agebam commodum.* Eo saepe utitur Cicero. Vid. Victorius ad Cic. Epist. ad Div. VII. 23.

53. *Nulla erat* i. e. nusquam erat. Adelph. II. 2. 19. et 38.

55. *Verum* i. e. omnino. Heaut. V. 3. 11.

56. *Conclamatum est* i. e. nulla spes superest. Locutio ducta est a funeribus. Solebant enim Veteres, cum quis exspirasset, ingentem clamorem tollere, cuius rei causas tradunt Lambin. ad Lucret. III. 469. et Kirchmann. de Fun. I. c. 13.

61. *Potens* i. e. opulentus, dives. Horat. Carm. II. 18. 13. *nec potentem amicum largiora flagito.* Phaedr. I. 24. 1. *Inops potentem dum vult imitari* ubi vid. Interpretes.

62. *Duras partes* i. e. difficilem sortem, conditionem. Antonius Cic. Epist. ad Attic. X. 8. *quod iudicabam duriores partes mihi impositas esse.*

63. *Quod donum huic dono contra comparet* i. e. quod donum huic dono tanquam par opponat. Loquendi ratio a ludo gladiatorum ducta est, ubi paria gladiatorum deliguntur h. e. ubi constituitur, quis cum quoque contendat. Sueton. Calig. c. 35. *hunc in arenam deductum Threci comparavit. Contra* est vicissim, ut *contra vociferari*, *contra intueri*. Drakenb. ad Liv. IV. 53. 6.

64. *Tum magis id dicas.* Bentleii coniecturam *magis id dicas* refellit imitatio Cic. ad Attic. VI. 2. *tum id magis faceres, si adesses.*

65. *Inhonestum* i. e. deformem, turpem, ut *honestus* pro pulcro Andr. I. 1. 96.

Ibid. *Senem, mulierem* dicit eunuchum, quod eunuchi multa communia habent cum senibus et mulieribus. Bentleius coniungit *senem mulierem*, ut *mulier meretrix*.

66. *Quatietur* i. e. cum vi et iniuria extrudetur. Horat. Carm. III. 9. 19. *si flava excutitur Chloe.* Vid. Bentleius ad Hor. Carm. III. 15. 9.

69. *Nihil ad nostram hanc* h. e. non est pulcra, si cum nostra comparetur. Praepositio *ad* eleganter inservit comparationi. Plaut. Captiv. II. 2. 25. *ad sapientiam huius nimius nugator fuit*, ubi vid. Lambin. Liv. XXII. 22. *homini non ad cetera Punica ingenia callido.* Infra IV. 4. 14. *ne comparandus quidem ad illum est.* Vid. Gronov. Obss. IV. 6.

Ibid. *Alia res* dicitur de illis, quae inter se comparari non possunt, ut contra *una res* apud Plaut. Capt. III. 1. 28.

75. *In unis aedibus* h. e. in una eademque domo. Liv. I. 51. *ea cum una nocte perfecta essent*, ubi vid. Drakenborch.

76. *Propter* i. e. iuxta, prope. Adelph. IV. 2. 37. *angiportum propter est.* Cic. pro Rosc. Am. c. 23. *filii propter cubantes.* Vid. Interpretes ad Liv. Epit. 49.

Ibid. *Dormire* honeste dicitur de concubitu. Ovid. Art. Am. I. 601. *bene, cum quo dormiat illa*, ubi vid. Burmannus.

79. *Audio* hic significat assentior, fateor haec fieri posse. Phorm. II. 1. 6. *invitus feci, lex coegit; audio, fateor.* Aliter est Andr. III. 3. 20. ubi vid. notata.

81. *Tangere* et *ludere* sunt verba nequam. Infra IV. 2. 10. *si non tangendi copia est, eho ne videndi quidem erit.* Vid. Interpretes ad Petron. c. 11. p. 43.

82. *Illarum quisquam.* Veteres Latini imitatione Graecorum, qui τὶς utroque genere dicunt, *quisquam, aliquis* communi genere dixerunt. Infra IV. 4. 11. *hunc oculis suis nostrarum nunquam quisquam vidit.* Vid. Gronov. ad Gell. II. 23. et quae annotavimus ad Iul. Rufin. p. 262.

83. *Forma et aetas ipsa est.* Bentleius legit *forma et aetate ipse es;* sed nihil mutandum esse apparet ex Hec. I. 1. 19. *cur non aut istaec mihi aetas et forma est.* Vid. Burmann. ad Sueton. Galb. c. 14.

Ibid. *Probare se pro eunucho* significat efficere, ut pro eunucho habearis, persuadere aliis, te eunuchum esse. Cic. in Verr. V. 30. *suppositum in eius locum, quem pro illo probare velles.* Vid. quae annotavimus ad Rutil. Lup. I. p. 15.

85. *Ornare* significat omni necessario apparatu instruere, etiam vestibus. Infra IV. 4. 16. *varia veste exornatus fuit.*

87. *Perculeris me* i. e. humi me sternes trudendo. *Percellere* proprie est evertere, subvertere, affligere. Ennius apud Macrob. Saturn. VI. 2. *percellunt magnas quercus.* Vid. Donat. ad h. l. Gronov. ad Liv. III. 30. 4.

88. *Calidum* i. e. temerarium, praeceps. Cic. de Off. I. 24. *periculosa et calida consilia.* Liv. XXII. 24. *agitabantur pro ingenio ducis consilia calidiora.* Vid. Drakenb. ad Sil. Ital. XV. 337. Graeci eodem sensu θερμὸν dicunt. Victor. V. L. XXXIII. 6.

89. *At enim* idem est quod *at* vel *enimvero.* Adelph. II. 1. 14.

Ibid. *In me cudetur faba* h. e. in me hoc malum recidet. Rationem proverbii explicat Donatus ad h. l. et Erasmus in Adag. p. 52.

91. *Crucibus* i. e. quae nos excruciant, malis afficiunt. Plaut. Aulul. III. 5. 48. *aliqua mala crux semper est, quae aliquid petat.*

92. *Habent despicatum* i. e. contemnunt. *Despicatus* est ab inusitato verbo *despicor* pro despicio. Saepe autem *habere* cum participio ponitur. Ovid. Epist. XXI. 234. *Neglectam queritur testis habere fidem.* Liv. XXXIX. 16. *necdum omnia, in quae coniuraverunt, edita facinora habebant.* Valer. Max. II. 6. 7. *clausas portas habet.* Buchner. de commut. rat. dic. XXI. 1. p. 320.

93. *Referam gratiam* i. e. par pari referam et ulciscar. *Gratiam referre* saepe dicitur in deteriorem partem. Senec. de Clem. I. c. 7. *retulisse laedentibus gratiam,* ubi vid. Gronov. Infra V. 3. 2. *qui referam illi sacrilego gratiam.* Graevius ad Cic. pro Sull. c. 16.

95. *An potius haec pati? aequum est* etc. Legendum *an potius hoc patri aequum est fieri* i. e. an potius aequum est, hoc a me fieri adversus patrem, ut eum dolis fallam. Vid. T. Fabrum et Bentleium ad h. l.

98. *Nunquam defugiam auctoritatem* h. e. nunquam negabo, hoc me auctore et impulsore factum esse. Antiquus et elegans loquendi modus. *Auctoritas* est eorum omnium, qui aliquid se fecisse aut fieri iussisse profitentur. Cic. pro Sull. c. 11. *quam ego defugiam auctoritatem consulatus mei.* Vid. Muretus ad h. l. et in Epist. III. 72. Victorii V. L. V. 22. *Defugere* pro recusare, vitare, exemplis illustrant viri docti ad Caes. B. C. I, 82.

## ACT. III. SC. I.

4. *Triumphat.* Parasitus studio captat locutiones a re militari ductas, ut placeat militi glorioso. Est autem *triumphare* magnopere laetari, quoniam imperatorum triumphantium publicum erat gaudium. Heaut. IV. 2. 5. Cic. ad Attic. IX. 16.

5. *Est istuc datum mihi* h. e. id mihi datum est natura, hoc mihi innatum est, ut vulgo dicunt. Mart. Epigr. I. 4. 6.

*non cuicunque datum est habere nasum.* Hanc formulam pulcre illustrat Bentleius ad Horat. Serm. II. 2. 31.

6. *Ut grata mihi sint* i. e. ut gratiam mihi afferant apud omnes. Heaut. II. 3. 21. *Quod tamen nunc facio: tum cum gratum mi esse potuit, nolui.* Contra Heaut. V. 1. 61. *ingratum tibi est* i. e. nullam gratiam eo inis. Cic. ad Div. V. 5. *sin autem ingrata esse sentiam.* Vid. Graevius ad Cic. pro Mil. c. 37.

7. *Vel rex.* Particula *vel* idem valet ac si dixisset: ex hoc uno satis apparet, ut dicere de aliis non opus sit. Hec. 1. 1. 3. *vel hic Pamphilus iurabat quoties.* Cic. ad Attic. IV. 16. *occupationum mearum vel hoc signum erit.* Bronkhusius ad Tibull. I. 9. 53. et Perizon. ad Sanctii Min. IV. 7. 15. p. 704. *Rex* per eminentiam dicitur rex Persarum.

10. *Salem* h. e. sapientiam. Catull. LXXXVII. 4. *Nulla in tam magno est corpore mica salis.* Servius ad Virg. Aen. I. 35. Hinc *salsus* facetus, urbanus, *insulsus* fatuus, ineptus. Bentleius legit *qui sal habet, quod in te est.* Nam *sal* et masculini et neutrius generis dicitur. Forte melius est legere, ut pleraeque editiones habent, *qui habet salem, quod in te est.* Nam saepe pronomen *quod* respicit totam phrasin. Heaut. II. 3. 123. *in tempore ad eam veni, quod rerum omnium est primum.* Plin. Panegyr. c. 59. *esse denique consules, quod concupierunt,* ubi vid. Schwarzium.

11. *In oculis gestare* i. e. magni facere, amare. Cic. ad Attic. VI. 2. *publicanis in oculis sumus.* Similis locutio Adelph. IV. 5. 75. *hicine non gestandus in sinu est.*

12. *Vero* i. e. omnino. Est formula affirmandi. Vid. Adelph. III. 4. 23. et Perizon. ad Sanct. Min. IV 2. 1. p. 531. Bentleius edidit *verum*, ut est supra II. 3. 56.

Ibid. *Credere omnem exercitum* i. e. summam belli committere, ut loquitur Iustin. I. 6.

13. *Satias*, vel *satietas* est taedium, fastidium. Infra V. 5. 3. *ubi satias coepit fieri, commuto locum.* Phorm. V. 5. 6. *Quo pacto satietatem amoris ait se velle absumere.* Vid. Drakenborchius ad Sil. Ital. IV. 110.

14. *Odium* i. e. taedium. Infra V. 5. 2. *neque agri neque urbis odium me unquam percipit.* Hec. II. 1. 22. *audivi cepisse odium tui Philumenam.*

16. *Exspueret miseriam* i. e. eiiceret. Vile verbum est *exspuere*, quod parasitus studio captavit; sic Propertius IV. 5. 66. de anicula contemptissima *Atque animam in tegetes putrem exsputare paternas*, ubi vid. Broukhus. *Miseria* est molestia ut Adelph. V. 4. 13. et Hec. III. 4. 6. Sic *miserum habere* pro molestia afficere apud Cic. ad Div. XIV. 7.

18. *Elegantem* i. e. eligere scientem. Infra III. 5. 18. *elegans formarum spectator.* Sic *eleganter* pro intelligenter sive cum delectu. Cic. de Invent. II. 3. *sin autem temere aliquid praeterisse aut non satis eleganter secuti videbimur.* Liv. XXXV. 14. *neminem elegantius loca cepisse.* Ernest. in Clav. Cic. h. v.

19. *Perpaucorum hominum* i. e. fastidiosus, qui paucis familiariter utitur; imitatur Horatius Serm. I. 9. 44. *paucorum hominum et mentis bene sanae.* Facete Cic. apud Macrob. Sat. II. 12. *Pontius, Scipio, inquit, vide quid agas, acipenser iste paucorum hominum est.*

20. *Si tecum vivit* i. e. si tuus amicus, tuus sodalis est. Horat. Serm. I. 3. 57. ubi vid. Bentleius.

21. *Mordere* i. e. obtrectare, molestia afficere. Infra v. 55. *quod eam mordeat.* Cic. ad Attic. XIII. 12. *Valde me momorderunt epistolae.* Hinc *morsus famae* apud Sil. Ital. VII. 271.

23. *Impense* h. e. valde, vehementer. Plaut. Epid. IV. 1. 39. *impense improbus* pro nequissimo. Infra III. 5. 39. dicitur *impendio.*

25. *Belluae* vocantur omnes immanes bestiae, sed per eminentiam elephanti. Vid. Graevius ad Flor. II. 6. p. 323.

27. *Iugularas hominem* i. e. ad silentium redegeras. Cic. in Verr. II. 26. *posteaquam tam multis eum factis decretisque iugulasset.*

30. *Tangere* est aculeato dicto perstringere. Muret. ad Catull. XXI. 8. et Victorii V. L. IX. 19.

34. *Alludere* i. e. amorem suum ostendere visu, motu, tactu manus aut pedis. Lactant. III. 10. de animalibus: *colloqui videntur, dum aut homini alludunt aut suis quisque coniugibus.* Burmann. ad Phaedr. III. 19. 12.

35. *Irridere.* Bentleius eleganti coniectura legit *irritare.*

36. *Lepus tute es et pulpamentum quaeris* h. e. cum ipse cinaedus sis, scortum quaeris. Latet in hoc proverbio aliquid obscoeni. Vid. Donatus ad h. l. et Casaubon. ad Athen. III. 3.

39. *Fertur imprimis* i. e. in omnium ore est, circumfertur ut elegans et venustum. Sueton. Caes. c. 20. *ut vulgo mox ferrentur hi versus.* Vid. Schulting. ad Senec. Controv. II. p. 170.

40. *Imprudens* hic in laude ponitur, ut *adolescentes imperiti rerum, educti libere* Andr. V. 4. 8. Vid. Bentlei. h. l. Minus recte hunc locum accepit Schulting. ad Senec. Controv. I. p. 152.

42. *Risu emoriri* i. e. vehementer ridere. Locutio fluxit ab Homer. Odyss. Σ. 99. *γέλῳ ἔκθανον.* *Emoriri* antique dicitur pro emori.

44. *De istac* i. e. propter istanc. Infra III. 2. 3. *ecquid nos amas de fidicina istac.* Cic. in Verr. III. 30. *flebat uterque non de suo supplicio.*

48. *Male* i. e. valde. Adelph. IV. 1. 7. *rus male odi.*

52. *Comissatum* i. e. ad compotationem post coenam. *Comissor* formatur e graeco *κωμάζειν* et ideo rectius per simplex m scribitur. Vid. Vossii Etym.

55. *Par pari referto.* In nonnullis editt. male scribitur *par pro pari.* Vid. Bentlei. ad h. l.

## ACT. III. SC. II.

4. *Quod dedit principium* i. e. quam inficete sermonem suum orsus est commemorando munere, quod dedit. *Dare* pro facere frequens est Comicis. *Principium* est prooemium apud rhetores. Schulting. ad Senec. Controv. II. p. 123.

7. *Ex homine hunc natum dicas.* Interpretes haec per interrogationem capiunt hoc sensu: an credas hunc esse hominis

progeniem, adeo rusticus et stupidus est. Sed mire blanditur praeclara et digna tali ingenio Bentleii emendatio *abdomini hunc natum dicas*, quod recte dicitur de parasito, qui de ventre solo cogitat. Cic. in Pison. c. 17. *Ille gurges atque heluo, natus abdomini suo, non laudi atque gloriae.*

13. *Pace quod fiat tua* i. e. cum bona venia tua, te non invito. Cic. ad Div. VII. 17. *pace tua dixerim.* Petron. c. 2. *pace vestra liceat dixisse*, ubi vid. Interpretes.

16. *Res indicabit* i. e. non opus est verbis; cum dona videris, qualia sint iudicare poteris. Expressit graecam formulam *αὐτὸ δείξει*, de qua vid. Cl. Valckenaer. ad Eurip. Phoen. v. 626.

23. *Litterae* sunt artes liberales omnes, ut apud Cic. de Orat. III. 34. et Nep. Attic. c. 1. Iungit vero litteras, palaestram, musicam, quod Graeci has artes imprimis pueros docebant. Perizon. ad Aelian. V. H. VII. 15.

25. *Sollertem dabo* h. e. rebus ipsis ostendam eum peritissimum harum artium. Plaut. Mil. III. 1. 56. *plus dabo quam praedicabo ex me venustatis tibi.* Schulting. ad Senec. Controv. III. p. 214. *Sollers* opponitur rudi, inerti. Vid. Donat. ad h. l.

30. *Quidam* veteres dicunt non solum per contemtum, sed etiam ne offendant praesentem, ut h. l.

32. *Sat habet* i. e. contentus est. Caes. B. C. III. 46. *qui satis habebant sine detrimento discedere.* Nep. Epam. c. 8. *Lacedaemonii satis haberent si salvi esse possent.* Vid. Drakenb. ad Liv. V. 21. 9.

35. *Qui pararet alium;* *qui* ponitur pro *ut*, ut ad Andr. prol. 6. notavimus. *Parare* est comparare, emere. Catull. X. 20. *non possem octo homines parare rectos*, ubi vid. Muretus. Caes. B. G. IV. 2. *quae impenso parant pretio.* Buchner. de comm. rat. dic. p. 13. et Gronov. ad Senec. de Ben. IV. 12.

36. *Infra infimos* i. e. abiectissimum, contemptissimum. Ovid. Trist. V. 8. 1. *Non adeo cecidi quamvis abiectus, ut infra Te quoque sim, inferius quo nihil esse potest.*

38. *E flamma cibum petere* i. e. adeo famelicum et impudentem te esse arbitror, ut ex medio igne vel cum capitis pe-

riculo cibum petere possis. Alludere videtur ad silicernium vel coenam funebrem, quae ad busta mortuorum coquebatur a pauperibus diripienda. Vid. Interpretes ad Catull. LX. et Victorii V. L. XXI. 9.

48. *Fac cures;* periphrasis pro cura, ut mox v. 53. *adsitis facite* pro adeste. Hec. II. 2. 2. *faciam ut concedam* pro tibi concedam. Cic. ad. Div. X. 17. *fecit ut mitteret* pro misit. Liv. XXXVI. 29. *non facturum ut insultet* pro non insultaturum.

49. *Si id non commodum est.* Est formula venusta humanitatis, similis illi supra v. 31. *ubi molestum non erit.* Cic. ad Div. I. 1. *quod commode rem facere possis* ubi vid. Graevius.

## ACT. III. SC. III.

1. *Magis magisque.* Frequens haec geminatio. Liv. VIII. 39. *quidquid progrediebantur, magis magisque turbatos hostes cernebant* ubi vid. Drakenb.

2. *Nimirum* i. e. certe, sine dubio. Horat. Epist. I. 14. 11. *cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.* Donatus ad h. l.

3. *Labefacere* proprie est aliquid ad labem, ad ruinam adducere, metaphorice aliquem de proposito, de pristina constantia demovere, a pudicitia pellicere ad amores. Catull. LXX. 3. *non si illam rarae labefactes munere vestis.* Victorii V. L. III. 22. Sic mutaturi consilium *labare* vel *labascere* dicuntur, ut supra I. 2. 98.

5. *Quid tibi cum illa;* suppl. negotii est. Cic. ad Div. XV. 10. *si mihi tecum minus esset quam est cum tuis omnibus.* Nep. Alcib. c. 10. *quae regi cum Lacedaemoniis essent.* Schulting. ad Senec. Controv. I. p. 119.

7. *Rem divinam fecisse* i. e. sacrificasse. Hec. I. 2. 109. *simulat se ad matrem arcessi ad rem divinam.*

Ibid. *Rem seriam* i. e. gravem, maximi momenti. Inter *serius* et *severus* hoc discrimen est, ut prius fere semper dicatur de rebus, posterius de hominibus. Nep. Pelop. c. 3. *in crastinum differo res serias.* Duker. ad Liv. XXIII. 7. 11.

10. *Dare se alicui* dicuntur, qui faciunt quod alter cupit, qui ei grati esse laborant omni obsequii genere. Adelph. V. 3. 52. *da te hodie mihi.* Nep. Attic. c. 9. *qui adversariis eius se dabant.* Cic. ad Div. II. 8. *da te homini*, ubi vid. Manutius.

Ibid. *Sermonem quaerere* est undecunque colloquendi occasionem captare. Vid. Donatus ad h. l. Pro eo Petron. c. 37. dicit *fabulas arcessere*, ubi vid. Burmannus.

11. *Ubi friget* i. e. ubi loquendi materia exhausta est, ubi nihil amplius quod dicat invenire potest. Similiter apud Cic. ad Div. III. 8. imminutus sermo hominum dicitur *refrigeratus*, ubi vid Manutius.

Ibid. *Huc evasit* i. e. ad has quaestiones sermonem retulit. Sallust. Iug. c. 14. *huccine beneficia evasere*, ubi vid. Cortius.

Ibid. *Pater et mater mortui. Mortui* in masculino genere dixit, non mortuae, ut Liv. XXI. 50. *rex regiaque classis una profecti* et sic centies alii.

14. *Avellere* pro avulsuram, praesens pro futuro. Vid. not. ad Andr. I. 5. 3.

19. *Intendit* h. e. contendit. Cic. ad Div. I. 2. *Lupus intendere coepit.* Gesnerus in Thes. L. L. *intendit* explicat per probare vult: quo sensu verbum hoc usitatum est ICtis.

Ibid. *Ut est audacia* scil. mulieris, vel in ablativo pro ut est audacia praedita. Adelph. III. 3. 36. *ut est dementia*, ubi vid. Donatus.

22. *Misit orare;* hoc Graecorum more dicitur pro misit oratum. Vossius de Construct. c. 51. p. 435. *Mittere* simpliciter est nuntium vel legatum vel litteras mittere. Cic. ad Div. V. 20. *si ad me misisses*, ubi vid. Manutius. Iustin. V. 3. *statim igitur Athenas mittit.* Gronov. ad Liv. VIII. 33. 1. et Duker. ad Thucyd. IV. 93.

23. *Quid vult* pro quid velit. Similia exempla indicativi pro subiunctivo supra vidimus.

26. *Maximo te orabat opere* pro magnopere, summopere. Saepe divisim legitur magno opere, summo opere. Drakenb. ad Liv. XXVIII. 18. 4. Aliquando alia quoque vox interpo-

nitur ut h. l. Cic. ad Div. XIII. 7. *quantoque opere eius municipii causa laborarem, tibi ostendi.*

30. *Malam rem hinc ibis;* sic e libris antiquis edidit Bentleius. Dicitur autem *malam rem ire* eodem modo quo *domum ire.*

## ACT. III. SC. IV.

1. *Coire* est convenire. Virg. Aen. VII. 582. *undique collecti coeunt.* Vid. Heins. ad Ovid. Epist. VII. 123.

Ibid. *Piraeo.* Alii scriptores hunc portum semper dicunt *Piraeeum.* Gronov. Obss. I. 3.

2. *Chaeream ei rei praefecimus* i. e. magistrum convivii vel arbitrum bibendi, ut Horatius dicit, creavimus. Vid. Salmasii Obss. in Ius Att. p. 69.

3. *Dati annuli* scil. pro pignore, se ad convivium venturos.

4. *Parati nihil* pro paratum nihil. Sic apud Liv. IX. 16. *nihil satis praeparati erat ad obsidionem tolerandam.* XXXI. 7. *nihil parati.* Sic alibi *quid integri, hoc signi* etc. Vid. Gronov. ad Liv. XXXII. 37. 5.

7. *Visam si domi est.* *Si* ponitur pro *an,* ut *εἰ* apud Graecos. Propert. II. 29. 23. *volui, si sola quiesceret illa, Visere.* Cic. ad Div. IX. 26. *cum ille, si quis quidquam quaereret, dixisset.* Duker. ad Flor. III. 3. p. 445.

10. *Procul* etiam dicitur de spatio breviore. Sic Hec. IV. 3. 1. *procul sermonem accipere* dicitur, qui tam prope adest, ut sermonem audire possit. Salmas. Exercit. Plin. p. 96. et Perizon. ad Sanctii Min. I. 16. p. 152.

## ACT. III. SC. V.

1. *Nemo homo;* abundat *homo* ut Adelph. II. 3. 6. *fratrem homini nemini esse.* Cic. ad Div. XV. 10. *esse hominem, qui ignoret, arbitror neminem.*

2. *Erumpere gaudium* i. e. gaudium, quod quis diu continuit, cum impetu efferre, effundere. *Erumpere* saepe active dicitur. Cic. ad Attic. XVI. 3. *ne in me stomachum erumpant.* Gronov. ad Liv. XXXVI. 7. 13.

3. *Nunc est profecto* scil. tempus. Liv. VII. 32. *fuit, cum hoc dici poterat.* Petron. c. 127. *nunc erat a torva submittere cornua fronte.* Sanctii Min. IV. 4. p. 645.

5. *Curiosus* hic in deteriorem partem sumitur pro eo, qui alienas res nosse curat. Plaut. Stich. I. 3. 45. *sed curiosi sunt hic quam plures mali, alienas res qui curant studio maximo.*

12. *O festus dies hominis, amice salve.* Ex vulgata lect. nullus idoneus sensus elicitur. Bentleius coniicit *o festus dies! o meus amicus, salve. Festus dies* blandientis dictum esse planum est ex Plaut. Cas. I. 1. 49. *sine amabo te amari, meus festus dies, meus pullus passer, mea columba, mi lepus.* Vid. Gesner. in Thes. L. L. v. *festus.* Cl. Oudendorp. * putabat *o festus dies, o meus* scil. dies. Poetae eleganter *diem meum* vocant diem faustum, felicem. Gronov. Diatr. Stat. c. 43.

18. *Spectator* est qui iudicat, qui probat. Sic *spectare* pro probare Andr. I. 1. 64.

19. *In hac commotus sum.* Poetae Latini cum de amore loquuntur, ablativo potius utuntur quam accusativo. Ovid. Art. Am. I. 731. *Pallidus in Lyrice silvis errabat Orion: Pallidus in lenta Naïde Daphnis erat.* Met. VII. 22. *quid in hospite, regia virgo, Ureris.* Heinsius ad Virg. Aen. VII. 623. et Broukhus. ad Propert. III. 6. 28.

Ibid. *Primam* i. e. praecipuam, omnium pulcherrimam. *Primus* saepe non ad ordinem, sed ad laudem refertur. Heaut. V. 2. 10. *suavia in praesentia quae essent, prima habere.* Burmann. ad Petron. c. 40. p. 177.

20. *Quid multa verba* scil. dicam, ut plene est III. 2. 43.

23. *Arripui* i. e. cupide amplexus sum. Cic. pro Mur. c. 30. *haec Stoicorum placita Cato arripuit.* Idem ad Attic. XVI. 15. *id non perinde atque ego putarem arripere visus est,* ubi vid. Victorium.

26. *Essem una;* verecunda locutione exprimit rem obscoenam. Cic. pro Coel. c. 20. *cum hac si quis adolescens forte fuerit.* Ovid. Art. Am. III. 664. *mecum non semel illa fuit.* Broukhus. ad Tibull. IV. 7. 10.

27. *Num parva causa aut parva ratio est.* Verissime Bentleius legit *Num parva causa aut prava ratio est.*

31. *In interiore parte* i. e. in gynaeconitide, ubi Graecorum more mulieres vivebant. Vid. Nepot. praef.

32. *Terram intueri* est pudoris et pudicitiae signum. Cic. Catil. III. 5. *sic obstupuerant, sic terram intuebantur.* Cort. ad Sallust. Cat. c. 31.

33. *Circum esse* vel addito casu *circa aliquem esse* dicuntur omnes, quorum quis vel consuetudine vel ministerio utitur. Liv. I. 41. *Tarquinium moribundum cum qui circum erant excepissent*, ubi vid. Drakenborch.

33. *Ludere* frequens est de concubitu. Petron. c. 11. *ludentem me cum fratre invenit.* Vid. Graevius ad Sueton. Ner. c. 29.

40. *In hominem.* Atqui Iuppiter se non in hominem convertit, sed in aurum. Bentleius igitur audaci coniectura legit: *Deum sese in pretium convertisse*, ut Horat. Carm. III. 16. 8. *converso in pretium Deo.* Sed Oudendorpius ad Sueton. Caes. c. 1. vulgatam lectionem sic defendit, ut *hominem* capiat pro affectu humano, hoc sensu: Iuppiter humanum ingenium sibi induit. Sic *pater* dicitur pro animo paterno, *mater* pro materno. Vid. Heinsius ad Ovid. Met. VI. 629.

41. *Fucus* est color factitius, quo mulieres genas oblinentes pulcritudinem naturalem mentiuntur. Hinc ad fraudem et simulationem transfertur. *Factum* in supino est faciendi causa, ut faceret.

Ibid. *Impluvium* est locus subdivalis in mediis aedibus, in quem aqua de tectis confluit. Vid. Ascon. ad Cic. Verr. I. c. 23. et Ernest. Clav. Cic. s. v.

42. *At quem Deum.* Terentium imitatus est Cicero ad Div. IX. 20. *at quem virum.* Est autem formula laudantis et admirantis.

Ibid. *Templa coeli.* Poetica circumlocutione dicitur *coelum.* Saepe sic loquitur Ennius, cuius *παρῳδία* est hic locus, ut Donatus annotat. Vid. Columnam ad Ennii Fragm. p. 35.

Ibid. *Sonitu concutit.* Bentleio magis placet *nutu concutit.* Sic Ovid. Met. II. 849. *qui nutu concutit orbem.* Sed *sonitus* capiendum pro tonitru. Propert. II. 16. 48. *vidistin moto sonitus praecurrere coelo*, ubi vid. Broukhusius.

43. *Ego homuncio hoc non facerem? ego illud vero ita feci ac lubens.* Hic versus est e verissima Bentleii emendatione sic legendus: *ego homuncio hoc non fecerim? ego vero illud fecerim ac lubens.* Nam futurum tempus requiritur, non praeteritum.

47. *Cape hoc flabellum.* Veterum lecti cum non pannis obducti essent ut nostri, ditiores somnum meridianum capturi servos adstare iubebant, qui ventulum facerent refrigerandi causa et muscas culicesque abigerent. Casaubon. ad Sueton. August. c. 82.

48. *Dum lavamur: ubi nos laverimus, si voles lavato.* Activo et passivo simul usus est Terentius; utrumque bonis scriptoribus usitatum, sed passivum frequentius. Vid. Bentlei. ad Horat. Serm. I. 5. 24.

50. *Tantus* refertur ad corporis magnitudinem. Apul. Met. I. p. 13. Vid. quae annotavimus ad Rutil. Lup. p. 94.

51. *Proruunt se* i. e. celeriter se proripiunt. Verbum vero neutrum *proruere* construitur cum accusativo, ut paulo ante *erumpere.*

53. *Limis* scil. oculis. *Limi oculi* sunt transversi, indices vel invidiae vel cupiditatis. Ovid. Amor. III. 1. 33. *limis subrisit ocellis.* Apul. Met. II. p. 27. *ad me conversa limis et morsicantibus oculis* ubi vid. Pricaeum.

57. *Ostentare* saepe dicitur pro ostendere et contra *ostendere* pro ostentare. Duker. ad Flor. III. 5. p. 469.

58. *Occasionem amitterem* i. e. praetermitterem. Cic. pro Caec. c. 5. *amittere eiusmodi occasionem.* Vid. Drakenborch. ad Liv. VII. 34. 9.

60. *Frugi esse* dicitur qui utilis est sibi vel aliis. Adelph. V. 9. 2. *frugi homo es.* Perizonius ad Sanctii Min. IV. 4. p. 558. subintelligit *idoneus* vel *natus.*

ACT. IV. SC. I.

11. *Minime gentium.* Abundat *gentium* ut in *nusquam gentium.* Adelph. IV. 2. 1.

12. *In convivium illam.* Apud Graecos tibicines et meretrices conviviis adhiberi solebant, non mulieres honestiores. Vid. Nep. praefat.

Ibid. *Tendere* e. instare, pertinaciter contendere. Liv. XXIII. 14. *si propalam tenderent*, ubi vid. Gronovius.

13. *Aurum* i. e. aurea capitis ornamenta.

14. *Subducere se* est clam et furtim decedere. Infra IV. 7. 25. *cum eo clam te subduxti mihi.* Nep. Alcib. c. 4. *clam se a custodibus subduxit.*

ACT. IV. SC. II.

1. *Inter vias* h. e. in via, dum eo. *Inter* saepe denotat temporis durationem, per quam interim aliquid simul fit. Sic *inter tumultum, inter coenam, inter pocula.* Sueton. Domit. c. 4. *inter spectacula muneris.* Gronov. Obss. IV. 20. et Duker. ad Flor. III. 21. p. 628.

4. *Puto* i. e. considero, cogito. Plaut. Cas. III. 2. 25. *cum eam mecum rationem puto.* Virg. Aen. VI. 332. *multa putans*, ubi vid. Servius. Adelph. V. 3. 10. *rem ipsam putemus.*

6. *Male me habens* i. e. molestia affectus. Vid. not. ad Andr. II. 6. 5.

7. *Diverticulum* est ubi iter de via flectitur. *Deverticulum* est in via domicilium, ad quod de itinere devertendum est. *Divertit* qui a via regia discedens semitam inde in diversa tendentem incedit; *devertit*, qui de via deflectens hospitium subit. Sic horum verborum differentiam constituit Drakenborch. ad Liv. XLIV. 42. 2.

12. *Extrema linea amare* est e longinquo amare, non adire amicam aut tangere. Donatus observat Veteres dixisse *longis lineis quid fieri*, quod fit e longinquo. Valer. Max. I. 7. 8. *Propioribus tamen, ut ita dicam, lineis Aterii Rufi somnium*

*certo eventu admonitum est.* Metaphora ducta videtur a lineis stadii, quibus cursores insistebant, ut ex aequo procurrerent. Sed alii aliunde metaphoram repetunt. Vid. Salmasius Exercit. Plin. p. 648. et Heinsius ad Ovid. Amor. III. 2. 19.

## ACT. IV. SC. 3.

1. *Scelerosus* plus est, quam *sceleratus*. Nam Gellius IV. 9. observat adiectiva in *osus* exeuntia excessum quendam denotare. Voce *scelerosus* utitur etiam Lucret. I. 84. ubi vid. Lambin. De aliis huius formae adiectivis vid. Cortium ad Sallust. Iug. c. 66.

3. *Ludificatus est* i. e. corrupit, vitiavit, pro quo Hec. I. 2. 74. *ludibrio habere*, et apud Tacit. Annal. XV. 72. *illudere*. Heinsius ad Sil. Ital. VIII. 472.

4. *Conscidit capillo* pro illius capillum conscidit. Rara et insolens constructio. Gronov. Obss. IV. 13. comparat illud Iustin. I. 10. *laceratus toto corpore*.

5. *Si detur mihi.* Ita saepe loquuntur irati. Adelph. III. 2. 13. *nihil est quod malim, quam totam familiam dari mihi obviam*.

6. *In oculos involem* i. e. cum vi irruam. Infra V. 2. 20. *vix me contineo, quin involem in capillum.* Ovid. Met. XIII. 561. *involat et digitos in perfida lumina condit*, ubi vid. Heinsius.

7. *Absente nobis* pro absente me. Sic Veteres aliquando loquebantur ad sensum magis, quam ad verba attendentes. Catull. CVIII. 5. *insperante nobis.* Tibull. III. 6. 55. *Perfida, nec merito nobis inimica merenti*, ubi vid. Broukhusius.

13. *Utinam sic sint qui mihi male volunt.* Sic Veteres quae a se remota vellent, hostibus imprecari solebant. Heaut. V. 3. 13. *istuc nostris inimicis siet.* Plaut. Asinar. V. 1. 13. *utinam male qui mihi volunt, sic rideant.* Lambin. ad Horat. Carm. III. 27. 21. *Male velle alicui* est aliquem odisse, *bene velle* favere. Heaut. V. 2. 6. *Tibi bene ex animo volo.* Burmann. ad Petron. c. 38. p. 165.

22. *Mea tu* et *mea* solum sunt formulae blandiendi. Adelph. III. 1. 2. *modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.* Ovid. Met. XIV. 761. *quorum memor, o mea, lentos Pone, precor, fastus.*

## ACT. IV. SC. IV.

1. *Etiam* eleganter inservit obiurgationi. Plaut. Pers. II. 4. 4. *scelerate etiam respicis.* Petron. c. 21. *etiam dormire,* ubi vid. Burmannus.

2. *Male conciliate* i. e. care emte, magno pretio comparate. Cic. ad Attic. II. 4. *mihi placet ea, quae male emta sunt, reddi,* ubi vid. Graevius. Ovid. Amor. I. 10. 44. *Pro male conducto gratia nulla thoro.* Contra *bene emere* est vili pretio emere. Cic. ad Attic. XII. 23. *bene emitur quod necesse est.* Drakenb. ad Sil. Ital. IV. 756. *Conciliare* est emere. Plaut. Epid. III. 4. 36. *conciliavisti pulcre.* Pseud. I. 2. 1. *ite ignavi male habiti et male conciliati.* Vid. Donatus ad h. l.

4. *Quid huc reditio est, quid vestis mutatio* i. e. cur huc rediisti, cur vestem mutasti? Saepe verbalia cum verbo *sum* ponuntur pro ipsis verbis unde ducuntur, habentque casum verbi sui. Adelph. III. 3. 67. *hi mihi ne corrumpantur cautio est.* Plaut. Trucul. II. 7. 62. *quid tibi hanc est notio.* Poterat Terentius etiam scribere *quid vestem mutatio est.* Vossius de Anal. III. 9. p. 287.

6. *Iam ornabat fugam* i. e. parabat et instruebat se ad fugam. Sic Plaut. Epid. V. 1. 9. *adornare viaticum ad fugam.* Cic. pro Quint. c. 30. *ornare convivium.* Vid. Cortium ad Sallust. Iug. c. 90.

10. *Oculis suis vidit.* Saepe Latini dicunt *oculis videre, auribus audire,* sed hoc semper fit emphasis causa, quae ubi nulla est, vitiosum hoc loquendi genus esse docet Quinctil. Inst. VIII. 3. *Quisquam* dicitur pro *quaequam,* de quo archaismo supra diximus.

14. *Ne quidem.* Editiones quaedam vitiose habent *nec quidem,* ut apud alios etiam perperam scribitur; sed semper

legendum esse *ne quidem* interposita voce, docent Bentleius ad h. l. et Duker. ad Flor. II, 5. p. 261.

16. *Varia veste* i. e. varii coloris. Ovid. Epist. XV. 37. *Et variis albae iunguntur saepe columbae.* Eugraphius ad h. l. dicit eunuchos veste usos esse versicolore, sed is sine teste loquitur.

21. *Vetus* i. e. senex. Horat. Epod. VIII. 3. *rugis vetus frontem senectus exaret.* Broukhus. ad Tibull. I. 9. 50. Eunuchi vero cito senescebant. Petron. c. 23. *molles, veteres Deliaci manu recisi*, ubi vid. Interpretes.

Ibid. *Vietus* i. e. languens, curvus per senectutem; proprie *vietus* est flexilis a *viere*, vincire, ligare, unde etiam *vietores* et *vimen* dicuntur. Vid. Donatus ad h. l.

Ibid. *Veternosus* i. e. senio tardus et ignavus. *Veternus* proprie est immodica dormiendi cupiditas, unde translate dicitur pro torpore animi et ignavia. Servius ad Virgil. Georg. I. 124. Sed *veternosus* etiam accipi potest pro hydropico. Vid. Donatus ad h. l. et Bentleius ad Horat. Epist. I. 2. 34.

22. *Colore mustelino* i. e. sublivido, qualem habent mustelae. Vid. Donatus ad h. l. At Bentleius erudite legit *colore stellionino* i. e. instar stellionis. Rationes apud ipsum videte.

23. *Quid egerim.* Nihil verius lectione, quam Bentleius revocavit, *quid emerim. Quid* eleganter dicitur de homine.

27. *Expedi* i. e. dic, expone. Infra V. 5. 20. *istuc, quicquid est, primum expedi.* Sallust. Iug. c. 5. *priusquam huiuscemodi rei initium expedio.* Iustin. XLIII. 1. *Parthicis, Orientalibusque ac totius propemodum orbis rebus expeditis,* ubi vid. Graevius.

40. *Vestem detraxit* h. e. exuit. Sueton. Caes. c. 84. *vestem detractam sibi iniecere flammae.* Heaut. I. 1. 72. *soccos detrahunt.*

45. *Exsculpere* i. e. vi et minis extorquere. Plaut. Cistel. II. 2. 6. *in quaestione vix exsculpsi ut diceret.*

46. *Sine malo* i. e. sine verberibus, ut ad Andriam explicuimus.

49. *Quomodo hinc abeam* i. e. quomodo me hinc expediam. Heaut. IV. 2. 5. *si licet me latere tecto abscedere.* Phorm. V. 9. 58. *pulcre discedo.*

51. *Techna* vox graeca, fallaciam et dolum significans. *Tam* est *tam certo.* Plaut. Aulul. III. 6. 12. *Tam hoc scit me habere quam egomet.* Burmann. ad Petron. c. 75. p. 376.

54. *Utrum taceamne an praedicem. Utrum* et *ne* eleganter per pleonasmum iunguntur. Adelph. III. 3. 28. *utrum studione id sibi habet an laudi putat fore.* Cic. de N. D. II. 34. *utrum ea fortuitane sint an eo statu,* ubi vid. Davisius.

56. *Te turba evolves* h. e. te expedies, te liberabis rixa. Phorm. V. 4. 5. *ego nullo possum remedio me evolvere ex his turbis.*

58. *Inceperat* ponitur pro inchoata erat. Cic. Verr. V. 10. *cum rosam videret, tunc incipere ver arbitrabatur.* Duker. ad Liv. VIII. 38.

59. *Scibo* antique pro sciam, ut aliis locis.

## ACT. IV. SC. V.

3. *Neque pes neque mens suum officium facit* i. e. neque incedere possum, neque cogitare, ut decet. Terentium imitatur Ovid. Art. Am. I. 590. *Officium praestent mensque pedesque suum.* Schulting. ad Senec. Controv. I. p. 121.

5. *Dudum* i. e. paulo ante. Nam saepe *dudum* dicitur de tempore non longo. Broukhus. ad Tibull. III. 6. 63.

6. *Verbum hercle hoc verum est.* Bentleius e mss. bene edidit *erit* pro *est.* Nam Veteres verbo *erit* cum praesentia tum praeterita confirmare solent. Heaut. V. 3. 12. *certe sic erit.* Phorm. V. 3. 18. *sic erit.* Vid. Interpretes ad h. l. et Gifan. Obss. L. L. p. 171.

Ibid. *Sine Cerere et Libero friget Venus.* Sic Horatius Carm. III. 18. 6. crateram vocat Veneris sodalem, Apuleius Met. II. p. 115. Liberum Veneris hortatorem et armigerum, ubi vid. Pricaeum.

8. *Aetatem* i. e. diu, longo tempore. Heaut. IV. 3. 38. *me aetatem censes velle id adsimularier.* Duker. ad Flor. III. 13. p. 556. Intelligitur praepositio *per*.

## ACT. IV. SC. VI.

1. *A me eripiat.* Frequentius est *mihi eripiat;* sed alii quoque praepositionem huic verbo addunt, ut Liv. XLI. 14. *iussit coloniam ex hostibus eripere*, ubi vid. Dukerus.

2. *Digito attigerit uno* h. e. si illam leviter attigerit. Cic. Tusc. Disp. V. 19. *Laelius si digito quem attigisset, poenas dedisset.* Pricaeus ad Apul. Met. IX. p. 188.

3. *Magnifica verba* i. e. plena iactantiae. Tibull. II. 6. 11. *Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto Excutiunt clausae fortia verba fores*, ubi vid. Broukhusius.

4. *Verba si ad rem conferentur* i. e. si quae iactat exsequi voluerit.

7. *Qui? quasi istuc.* Recte Bentleius legit e libris suis *qui quaeso istuc.*

10. *Id quod res est* i. e. verum. Infra V. 5. 9. *quod res est.*

12. *Habere gratiam* est memorem se officiorum praestare; *referre gratiam* rebus ipsis beneficia pensare. Vid. Cortius ad Sallust. Iug. c. 110.

15. *Monumenta* plerique Interpretes explicant crepundia vel alia signa, cum quibus infantes exponi solebant, ut meliore tempore agnoscerentur, quae Graeci vocant *γνωρίσματα*. Vid. Lindenbrog. ad h. l. et quos laudat Cl. Albertus ad Hesychium sub h. v. Enimvero haec puella non est exposita, sed a praedonibus rapta et mox vendita. Sunt igitur *monumenta* vel quae infra v. 29. *signa* vocat, vestes, ornamenta vel aliud quodlibet, quod puella tum, cum raperetur, secum habebat. Huc referendum supra III. 3. 16. *ecquis cum ea una; quid habuisset, cum perit.*

16. *Riscus* est cistula viminea pellibus contexta. Vid. Polluc. X. 31. et Cuiacii Obss. VIII. 1.

26. *Transcurro* i. e. celeriter curro. Hec. III. 4. 17. *in arcem transcurso opus est.*

31. *Animo praesenti* i. e. intrepido, nihil turbato. Phorm. V. 7. 64. *animo virili praesentique ut sis, para.* Cic. de Off. I. 23. *praesentis animi uti consilio.* Contrarium est *non apud se esse.* Andr. II. 4. 5.

Ibid. *Attolle pallium.* Sic enim expeditius currere poterat. Plaut. Capt. IV. 1. 12. *coniiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat.* Phorm. V. 6. 4. *Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio.*

## ACT. IV. SC. VII.

1. *Ut accipiam.* Intelligendum: *an patiar* vel simile quid. Eadem ellipsis in interrogatione. Andr. I. 5. 28. *eine ego ut advorser.* Ibid. III. 5. 12. *tibi ego ut credam.* Perizon. ad Sanctii Min. I. 13. p. 93.

2. *Sequimini.* Donatus ad h. l. erudite annotat, huiusmodi militiam per tumultum repente susceptam vocari *evocationem*, ubi dux ita alloquebatur cives, *qui rem publicam salvam vultis me sequimini.* Qui sic ad arma vocati erant, proprio verbo dicebantur *evocati.* Cic. ad Div. III. 6. *praefectus evocatorum.* Graevius ad Flor. III. 17. p. 574.

4. *Mulcare* proprie est mollire, dissolvere, hinc verberare, pulsare et quovis modo male accipere. Adelph. I. 2. 10. *omnem familiam mulcavit usque ad mortem*, ubi vid. Donatus. Phaedr. I. 3. 9. *Male mulcatus Graculus.* Tacit. Annal. I. 32. *prostratos verberibus mulcant*, ubi vid. Lipsius. Hoc verbum saepe confunditur cum *mulctare* i. e. poenam pecuniariam imponere, ut Critici saepe monuerunt. Gronov. ad Liv. XXVIII. 30. 12. Duker. ad Liv. VIII. 24. 15. et Interpretes ad Sueton. Caes. c. 17.

Ibid. *Vectis* est instrumentum portis effringendis aptum. *Vecti* in ablat. dicitur pro *vecte.* Bentlei. ad Horat. Serm. I. 5. 72. et Drakenborch. ad Sil. Ital. VII. 368.

6. *Manipulus* in militia Romana est certus numerus militum ex duabus centuriis constans. *Fures* sunt servi, quorum furacitas saepe notatur. Virg. Ecl. III. 16. et ibi Servius.

7. *Peniculus* est spongia oblonga sanguini sistendo, a caudae similitudine sic dicta. Veteres caudam *penem* vocabant, quod nomen in obscoenis haesit. A *penis* duplex est diminutivum *peniculus* ,et *penicillus*. Vid. Festus in h. v. et Lindenbrog. h. l.

10. *Servat domi* h. e. custodit ea, quae sunt domi. Eadem eleganti brevitate Plaut. Aulul. I. 2. 3. *redi nunc iam intro atque intus serva*. Gronov. Lect. Plaut. p. 122.

11. *Principia* in acie Romana sunt prima signa, primi ordines, frons aciei, quae omne discrimen excipit. Qui igitur post principia stat, tutus est, propugnatores habet. Gronov. Obss. IV. 10.

12. *Sibi cavit loco* h. e. de loco. Praepositio *de* saepe omittitur.

16. *Quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus est*. Vulgata lectio obscura et inepta, sed clara et perspicua, quam e mss. revocavit Bentleius *qui tibi nunc vir videtur esse, hic nebulo magnus est*.

19. *Armis* scil. experiri. Sed dura est ellipsis et duplex in eadem locutione constructio. Placet igitur quod Bentleius e veteris codicis vestigiis reponit *omnia prius experiri, quam arma, sapientem decet*. *Experiri arma* dicitur ut *experiri vires* apud Ovid. Art. Am. II. 180.

22. *Do* pro dedi, praesens pro praeterito, ut saepe. Perizon. ad Sanctii Min. I. 13. p. 96.

23. *Tum* et *postea* iunguntur per pleonasmum, ut *post deinde*, *olim quondam*, *repente subito*, *tandem denique*. Vid. Vossius de Construct. c. 63. p. 456. et Broukhus. ad Propert. II. 2. 14.

25. *Quid cum illo ut agas* h. e. quid cum illo agas, nisi quod meretricis est, venerem cum eo exerceas. Haec verba Thrasonis sunt, non Thaidis, cui in editt. tribuuntur. Vid. Bentleius ad h. l.

28. *Autem* in responsione, quae fit interrogando, habet vim indignandi. Adelph. II. 1. 31. *egone debacchatus sum autem.*

31. *Faciam ut huius loci dieique meique semper memineris.* Sic minantes loquuntur. Liv. XXXI. 18. *mihi in animo est facere, ut regnum Macedonum sentiatis*, ubi vid. Gronovius.

36. *Os durum* dicitur pro homine impudenti. Cic. pro Quint. c. 24. *mihi videri ore durissimo esse*, pro quo Sueton. Ner. c. 2. *os ferreum* dixit, ubi vid. Interpretes. Et *os* solum pro impudentia dicitur. Cic. ad Div. V. 10. *si Appii os haberem*, ubi vid. Manutius. Contra *mollis frontis* dicuntur, qui sunt reverentes, ut Donatus annotat.

39. *Furti se alligat* i. e. plagii se reum facit. Plaut. in Poen. III. 4. 27. *homo furti sese adstringet.* Supplendum est crimine vel scelere, ut saepe apud Ciceronem *alligari* et *obligari scelere.* Vid. Ernest. Clav. Cic. h. v.

40. *Quaere qui respondeat.* Elegans formula, qua utuntur qui alium vix dignum iudicant, cui respondeatur. Similis illa apud Ovid. Amor. III. 11. 28. *quaere alium, pro me qui queat ista pati.* Burmann. ad Petron. c. 79. p. 394.

41. *Quin redeamus.* Recte Bentleius edidit *quin redimus.* Nam *quin* ubi sententiam inchoat, semper cum indicativo iungitur.

46. *Animus est in patinis* i. e. nihil nisi coenam cogito. Vid. Victorii V. L. VII. 12. et Cl. Toupii Emendat. in Suid. II. p. 251.

## ACT. V. SC. I.

1. *Perplexe loqui* i. e. dubie et obscure. Liv. XXXIII. 34. *nihil iam perplexe, ut ante, sed aperte pronuntiatum.* Mox v. 3. contrarium est *aperte dicere.* Burmann. ad Petron. c. 134. p. 640. et Cl. Valckenaer. ad Eurip. Phoen. v. 497.

15. *Quid facerem.* Formula excusandi, qua culpam a nobis removemus. Virgil. Ecl. I. 41. et VII. 14.

## ACT. V. SC. II.

2. *Dedita opera* i. e. studio, de industria. Plaut. Poen. III. 1. 5. *dedita opera amicos fugitavi.* Liv. II. 51. *dedita opera passim ad illecebras propulsa pecora.* Vid. Gronov. Lect. Plaut. p. 136.

4. *Notus* active dicitur, qui me norat. Liv. III. 44. *notos gratia eorum, turbam indignitas rei virgini conciliat.* Vid. Manutius ad Cic. Epist. ad Div. V. 12.

5. *Ego me in pedes* scil. coniicio i. e. quam celerrime aufugio. Phorm. I. 4. 13. *hinc me conicerem protinus in pedes.* Potest etiam suppleri *do.* Plaut. Capt. I. 2. 12. *mene vis dem ipse in pedes.*

6. *Angiportum* i. e. viam angustam. Vid. Festus h. v. Dicitur *angiportus* mascul. gen. et *angiportum* neutr. gen. Vossius de Anal. I. p. 173.

9. *Haereo* i. e. impeditus sum, quid agam nescio. Cic. Philipp. II. 29. *haerebat nebulo; quo se verteret, non habebat.* Phorm. V. 7. 70. *nisi mihi prospicio, haereo.*

10. *Quid faciet mihi.* Hac formula utuntur, qui pericula aut minas aliorum spernunt. Plaut. Pers. II. 3. 16. *quid faciet mihi? verberibus caedi iusserit, compedes imponi.*

12. *Satin id tibi placet.* Sic expostulamus cum iis, quos in manifesto peccato ita, ut ne ipsi quidem factum defendere audeant, deprehendimus. Adelph. IV. 7. 19. *ceterum placet tibi factum.* Plaut. Amphitr. I. 3. 16. *hoccine placet.* Vid. Cic. ad Attic. VI. 6. et ibi Manutius.

13. *Te impune habiturum.* In quibusdam libris legitur *te impune abiturum*, sed recte dicitur *impune habere.* Infra V. 6. 18. *siquidem istuc impune habueris.* Lactant. de mort. persecut. c. 2. *nec tamen habuit impune.* Vid. Rivium ad h. l. et Schulting. ad Senec. Controv. III. p. 260.

Ibid. *Unam hanc noxiam mitte.* Meliores editiones recte habent *unam hanc noxiam amitte. Amittere* est remittere. Plaut. Poen. I. 2. 191. *tibi hanc amittam noxiam unam.* Terentium imitatur Petronius c. 49. *solet fieri, rogamus mittas.*

De discrimine inter *noxam* et *noxiam* saepe multumque disputarunt viri eruditi. Vid. Duker. de Lat. Vet. ICtorum p. 10. sqq. *Noxia*, vere adiectivum subintellecto *culpa* vel *res*, semper significat culpam, iniuriam, peccatum, *noxa* culpae poena, unde *noxae dare*, et hinc quodvis detrimentum ac damnum. Sic discrimen constituit Oudendorp. ad Sueton. Caes. c. 81.

22. *Debere alicui aliquid* vel *debere alicui poenas* dicitur qui alteri iniuriam fecit, quoniam qui alteri iniuriam facit, quasi contractu se obligat et eo nomine eius fit debitor. Virgil. Aen. XI. 51. *nil iam coelestibus ullis debentem*. Burmann. ad Ovid. Met. VI. 538. Hinc etiam qui iniuria affectus est, tanquam creditor poenas exigere dicitur. Heinsius in Sylloge Epist. IV. p. 722.

26. *Si ego digna* i. e. si ego hoc merebar pati, attamen tu non debebas facere, non conveniebat personae tuae. Ita h. l. interpretatur Gronovius Obss. III. 8. egregie disputans de vi vocum *dignus* et *indignus*. Hec. III. 5. 27. *quando sese esse indignam deputat matri meae cui concedat* h. e. quando inferius sua persona esse, non convenire sibi putat, ut concedat matri. *Facere contumeliam* M. Antonius passive dicit pro ferre, pati contumeliam, ut dicitur *facere damnum*, *iacturam*. Sed hoc tanquam a linguae ratione abhorrens exagitatur a Cicerone Philipp. III. 9. Vid. Gronov. l. c.

29. *Conturbasti mihi rationes* i. e. disturbasti, irrita fecisti consilia mea. *Conturbare rationes* proprie est accepta expensis paria facere non posse. Cic. ad Quint. Fratr. II. 12. *nihil esse quod posthac arcae nostrae fiducia conturbaret*. Vid. Manutius ad Cic. Epist. ad Attic. IV. 17.

36. *Conflata est* i. e. contracta, orta est. Metaphora ducta a fusoribus metallorum, quae *flari* et *conflari* dicuntur. Hoc verbum, tametsi in utramque partem dicitur, maxime tamen in deteriorem, ut *bellum*, *invidiam*, *suspicionem*, *accusationem conflare*. Cort. ad Sallust. Catil. c. 14.

60. *Si pater* scil. patiatur.

58. *Nam quid.* Sic dicebant Veteres pro *quidnam.* Phorm. I. 4. 22. *nam quod* pro quodnam. Virg. Georg. IV. 445. *nam quis te iuvenum confidentissime, nostras iussit adire domus,* ubi vid. Servium.

60. *Dabit pugnam aliquam* h. e. magnum et audax facinus faciet. Adelph. V. 3. 57. *pugnaveris* i. e. magnam et memorabilem rem facies.

69. *Virgo vero;* mente supplendum est: eius te nihil pudebat.

## ACT. V. SC. III.

3. *Move vero ocius* i. e. celeriter perge. Sic Theocrit. Idyll. XV. 29. *κινεῦ δή.* Andr. IV. 3. 16. Vid. Lindenbrog. ad h. l. Particula *vero* singularem vim habet. Cic. de Divin. II. 8. *Quod enim is, qui divinat, praedicit, id vero futurum est.* Liv. XLV. 19. *universos omnia et huic tribuere et illi vero negare,* ubi vid. Drakenborch.

6. *Ac* intendit orationem, quasi dicas *etiam, vel, et quidem.* Andr. II. 1. 37. *ego vero ac lubens.* Supra III. 5. 43. *ego vero illud feci ac lubens.* *Memoriter* est sine monitore. Similis locus est Sueton. Ner. c. 10. *omnes ordines subinde ac memoriter salutavit,* ubi vid. Oudendorp.

9. *Incedere* dicitur qui gravitatem et securitatem prae se ferens ambulat. Propert. II. 2. 6. *incedit vel Iove digna soror,* ubi vid. Broukhusius.

10. *Si Dis placet.* Est formula indignantium et contemnentium, in qua est ironia. Nam semper de re mala, quae Diis placere non potest, dicitur. Adelph. III. 4. 30.

## ACT. V. SC. IV.

3. *Capiet Parmeno* pro capiam ego. Nam nomina propria saepe ponuntur pro pronominibus, quando quis de se loquitur. Phorm. V. 8. 38. *Phormionem qui volet lacessito* h. e. me. Hec. V. 4. 38. *an temere quidquam Parmenonem praetereat* i. e. me. Magnam autem vim habet nomen sic positum.

4. *Amorem* i. e. rem quam amabat. Ovid. Met. I. 452. *Primus amor Phoebi Daphne.* Drakenb. ad Sil. Ital. XV. 248.

6. *Eam* abundat. Saepe enim Veteres post verba quaedam interiecta *is*, *hic* et similia ponunt, quae abesse possunt. Infra v. 29. *virginem istam, Thaidi quae hodie dono data est, scis eam hinc esse civem.* Adelph. III. 3. 4. *si illum potest, qui alicui rei est, etiam eum ad nequitiam adducere.* Vid. Interpretes ad Liv. XXV. 27. 1.

Ibid. *Confeci* h. e. effeci ut ea potiretur. Q. Cic. de petit. consulat. c. 5.

8. *Palmarium* i. e. praecipuum et gloria dignum. Eadem metaphora *palma* pro victoria est Heaut. IV. 3. 31. et Phorm. prol. v. 17.

13. *Componere* est quidlibet suo loco et ordine ponere. Quoniam vero ex ordine decente conciliatur ornatus, *componere* saepe etiam dicitur pro ornare. Ovid. Amor. II. 17. 10. *nec nisi compositam se prius illa videt.* Burmann. ad Ovid. Met. IV. 318.

14. *Liguriunt* i. e. cum elegantia et fastidio cibos suaves degustant. Vid. Donatus ad h. l. et Victorii V. L. IX. 15. Ei mox v. 17. opponitur *vorare.*

15. *Illuvies* a non lavando dicitur et contraria est munditiei. Deteriores libri habent *ingluviem* i. e. voracitatem. Vid. Interpretes ad h. l.

17. *Ex iure hesterno panem atrum* i. e. madidum factum iure hesterno. Sic propositione *ex* saepe utuntur medici. Celsus III. 19. *intritum ex vino.* Vid. T. Fabrum ad h. l. et Salmas. Exercit. Plin. p. 505. *Ater panis* est coctus ex farina, unde furfures non sunt secreti, cui opponitur candidus panis. Donatus ad h. l.

18. *Salus est adolescentulis.* Bentleius emendat *saluti est adolescentulis.* Sueton. Aug. c. 14. *saluti fuit, quod qui desiderabatur repente comparuit incolumis.*

19. *Pro istis factis* i. e. ita ut mereris pro tuis factis. Hec. II. 1. 12. *an quidquam pro istis factis dignum te dici potest.*

Sallust. Catil. c. 51. *si digna poena pro factis eorum reperitur*, ubi vid. Cortium.

23. *Itaque ut ne viderem.* Recte Perizon. ad Sanctii Min. IV. 11. p. 723, coniungit omnia, et sine interrogatione verba *exempla indigna, quae dicunt in eum futura* refert ad *viderem*, et sic edidit Bentleius.

24. *Facere* vel *edere exempla in aliquem* significat grave supplicium de aliquo sumere, ut eius poena aliis exemplum sit. Caes. B. G. I. 31. *in eos omnia exempla cruciatusque edere.* Infra V. 6. 21. *uterque in te exempla edent.* Vid. Donat. ad h. l. et Phorm. IV. 4. 7. item Drakenb. ad Liv. XXIX. 27. 4.

32. *Violentus* est audax ad quodlibet faciendum, ad omnia vi et impetu facienda, non ratione. Sueton. Caes. c. 29. *Curionem, violentissimum tribunorum.*

35. *Id quod moechis solet.* De variis moechorum poenis vid. Muretus et Lindenbrog. ad h. l.

40. *Edico* plus est quam *dico.* Hoc enim verbo utuntur poenas minantes, nisi dictis suis obediatur.

48. *Narra rem omnem ut factum sit.* Notandum est femininum *rem* post se habere diversum genus. Sic Heaut. V. 1. 3. *in me quodvis harum rerum convenit, quae sunt dicta in stultum.* Duker. ad Liv. I. 3. 2.

## ACT. V. SC. V.

2. *Odium* est fastidium, taedium, ut supra. *Percipere* est penitus capere, occupare. Lucret. III. 80. *vitae percipit humanos odium*, ubi vid. Lambin. Liv. XXII. 51. *Hannibali nimis laeta res est visa maiorque, quam ut eam statim capere animo posset.* Vid. Interpretes ad Liv. XXX. 3. 4. et Gronov. Lect. Plaut. p. 23.

5. *Praestolari* proprie est praesto esse alicuius exspectandi causa. Festus h. v. Veteres huic verbo etiam dativum iungunt, ut Cic. ad Attic. II. 15. *ut in Formiano tibi praestoler*, ubi vid. Victorius.

6. *Salvum te advenisse gaudeo.* Formula salutandi eos, qui peregre adveniunt. Cic. ad Att. V. 21.

7. *Lingua haeret metu.* Saepe timor, dolor, aliaeque animi affectiones sermonem impediunt. Virg. Aen. II. 774. vox *faucibus haesit.* Ovid. Amor. I. 7. 20. *pavido lingua retenta metu.*

26. *Tantum est.* Hac formula significamus, nihil aliud restare, quod dicamus. Plaut. Cas. prol. v. 87. *tantum est, valete.* Hec. V. 3. 15. *tantumne est? B. tantum.*

30. *Causam quamobrem.* Hodie fere dicunt *causam ob quam,* sed Veteres dicebant *causam quam ob rem* vel *cur.* Sic etiam dicebant *quid est quam ob rem, quid est cur, quid est quare.* Vid. Hadr. Cardin. de Serm. Lat. p. 332.

## ACT. V. SC. VI.

3. *Solae* antique pro *soli,* ut *alterae, nullae, istae* aliis locis apud Terentium et Plautum. Vid. Bentleius ad h. l.

10. *Disertum* viri docti explicant ingeniosum, acutum, sed haec notio non satis certis exemplis confirmatur.

12. *An poenitebat flagitii* i. e. an non satis tibi videbatur, an non contentus eras, quod te impulsore adolescens flagitium fecerat. Heaut. I. 1. 20. *at me quantum hic operis fiat, poenitet.* Cic. ad Attic. I. 20. *in senatu quanti fiam minime me poenitet.* Idem de Off. I. 1. *quoad te quantum proficias non poenitebit.* Vid. Ernest. Clav. Cic. v. *poenitet.*

13. *Indicares* i. e. deferres apud patrem, proderes patri. Heaut. III. 3. 23. *hic prius se indicarit quam ego argentum effecero.* Vid. Gudium ad Phaedr. Prol. 3.

14. *Quid illi credis animi fuisse* i. e. quomodo affectum animo fuisse credis. *Animus* saepe dicitur de affectionibus animi, metu, pudore, dolore. Adelph. IV. 5. 31. *quid illi tandem creditis fore animi misero.* Ovid. Epist. VII. 66. *quid tibi mentis erit.* Idem Epist. XI. 87. *quid mihi tunc animi credas, germane, fuisse.*

18. *Reddam* scil. vicem i. e. par pari referam. Burmann. ad Petron. c. 58. p. 290.

19. *In diem est* h. e. in aliquod tempus differetur; unde *praesens* et *in diem* opponuntur Phorm. V. 2. 16. *praesens quod fuerat malum in diem abiit*, Nep. Attic. c. 9. *cum illa fundum emisset in diem* i. e. ut post aliquod tempus solveret, Sic ICti dicunt *promissa pecunia ad diem, addictio in diem, legatum in diem.*

20. *Pendebis* h. e. poena afficieris. [Nam veteres servos e trabe suspensos verberabant. Phorm. I. 4. 43. *ego plectar pendens.* Plaut. Asin. III. 3. 26. *qui pendet, multo est miserior.*

Ibid. *Nobilis* est qui noscitur, *nobilitare* notum facere. Itaque haec verba in utramque partem dicuntur. Cic. de Off. II. 7. *cuius est praeter ceteros nobilitata crudelitas.* Vid. Interpretes ad Liv. XXXIX. 4. 8.

22. *Honor* saepe est praemium vel munus pro officio. Cic. ad Div. XVI. 9. *Curio misi, ut medico honos haberetur*, ubi vid. Manutius. Caes. B. C. II. 21. *privatim ac publice quibusdam civitatibus habitis honoribus, discedit.* Drakenborch. ad Liv. II. 12. 15. Sic *honorare* est praemio afficere. Sueton. Aug. c. 45. *pro merito certantium quemque honoravit.*

23. *Quasi sorex.* De hoc proverbio vid. Donatus ad h. l.

## ACT. V. SC. VII.

3. *Omphalae.* De hac fabula vid. quos laudat Broukhusius ad Propert. III. 9. 20.

4. *Commitigari* est contundere, ut molle fiat, quo sensu *mitis sum fustibus* dixit Plaut. Mil. V. 1. 31. Haec autem Terentius sumsit a Turpilio apud Non. Marcell. p. 343. *misero mihi migitabat sandalio caput.* Victorii V. L. XIV. 15.

Ibid. *Sandalium* est soccus vel calceus muliebris, quo etiam puerorum nates caedere solebant. Vid. Casaubon. ad Pers. Sat. V. 169.

ACT. V. SC. VIII.

8. *In tranquillo* i. e. tranquillum, tutum, ut nihil metuendum sit a rivali. Supra similes locutiones vidimus: *res est in vado, in portu navigo. In tranquillo*, subintelligitur *mari.* Phorm. IV. 4. 9. *qui te ad scopulum e tranquillo inferat.* Vid. Interpretes ad Liv. III. 14. 6. et XXVIII. 27. 11.

9. *In clientelam et fidem* i. e. nos patronos cepit, sive, ut Attici dicebant, *προστάτας*, quos omnes peregrini Athenis habebant. *Fides* et *clientela* saepe tanquam synonyma coniunguntur. Cic. pro Rosc. Am. c. 33. Vid. Duker. ad Flor. III. 1. p. 428.

10. *Fratris Thais tota est* i. e. soli fratri dedita est. Liv. XXXV. 33. *multitudo Antiochi tota erat.* Drakenborch. ad Liv. XXV. 16. 19. Sic etiam dicitur *esse alicuius.* Liv. VI. 14. *plebs cum iam unius hominis esset.* Vid. Interpretes ad eund. III. 38. 11.

18. *Festivitatem* i. e. comitatem. Adelph. V. 9. 29. *quod te isti facilem et festivum putant* i. e. suavem, comem. Manutius ad Cic. Epist. ad Div. VI. 4.

20. *Praesto adest* pro praesto est. Iustin. I. 6. *iubet omnes praesto securibus adesse*, ubi errat Vorstius rectius putans *praesto esse* quam *praesto adesse.* Cic. ad Div. IV. 8. *ut ad omnia, quae tui velint, adsim praesto*, ubi vid. Manutius. Curt. VII. 1. *edicit ut omnes in vestibulo regiae praesto adforent.*

22. *Fautrix* regit casum verbi *favere*, a quo derivatur. Hec. prol. II. 40. *ut vestra auctoritas meae auctoritati fautrix sit.* Vid. Bentleius ad h. l.

25. *Ut haeream in parte aliqua* i. e. ut saltem ultimum locum in amore teneam. Cic. in Vatin. c. 5. *tunc te vix, invitis omnibus, non populi beneficio sed consulis, extremum adhaesisse.* Liv. V. 2. *ne in turba quidem haerere plebeium quemquam*, ubi vid. Gronovius.

27. *Optare* est eligere, *ferre* est accipere, auferre. Ovid. Met. II. 44. *quodvis pete munus ut illud Me tribuente feras.* Tibull. I. 1. 24. *fertis munera vestra Lares*, ubi vid. Broukhusius.

28. *Sic erit* i. e. ipse comperies. Eadem formula Phorm. V. 3. 18.

29. *Invocato* i. e. non invitato ad coenam. *Vocare* saepe absolute ponitur pro invitare ad coenam. Cic. pro Rosc. Am. c. 18. ubi *revocare* est eum ad coenam vocare, qui prior vocavit. Hinc servi *vocatores* dicti sunt, quibus a dominis datum est invitandi negotium. Senec. de Ira III. 37. *irasci coepisti convivatori, vocatori, ipsi qui tibi praeferebatur.* Vid. Interpretes ad Nep. Cim. c. 4.

30. *Accingar* i. e. rem aggrediar. Hoc autem verbo utuntur in magnis rebus suscipiendis. Liv. VI. 35. *accingendum ad eam cogitationem esse,* ubi vid. Gronovius. Loquendi ratio ducta est ex eo, quod qui aliquid serii facere parabant, cingulo vestes alioquin fluxas constringebant. Casaubon. ad Sueton. Aug. c. 24.

34. *Quod* ponitur pro quamvis, ut pulcre vidit Bentleius. Propert. III. 1. 49. *Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis, Nec camera aurata inter eburna trabes, At Musae comites.* Ovid, Epist. XVII. 51. *quod genus et proavos et regia nomina iactas,* ubi vid. Interpretes.

35. *Iter habui* i. e. iter feci. Nep. Eum. c. 8. *iter quod habebat, omnes celat.* Lucan. II. 439. *nullas nisi sanguine fuso gaudet habere vias,* ubi vid. Burmann.

36. *Dictum est.* Haec formula habet vim comminandi et adseverandi: omnino ita futurum ut dictum est. Eodem sensu ponitur *dixi* Phorm. II. 3. 92. et Hec. IV. 3. 6.

Ibid. *Non cognosco vestrum tam superbum.* Supplendum est *ingenium,* ut sensus sit: non solebatis esse tam superbi. Plaut. Trin. II. 4. 44. *haud nosco tuum.* Vid. Donatus et Bentleius ad h. l.

41. *Inscitia* i. e. stultitia. Phorm. I. 2. 27. *namque inscitia est, adversum stimulum calces.*

44. *Et libenter vivis.* Ex Bentleii coniectura legendum est *ut libenter vivis,* deinde parenthesi includenda verba *et enim bene libenter victitas.* Sensus hic est: ut tu laute et sumptuose cum ea vivis quotidie, necesse est ut illa multum ac-

cipiat; tibi vero paulum est quod des. *Ut* ponitur pro prout. Heaut. I. 1. 116. *ut diei tempus est, monere oportet me hunc vicinum Phaniam.* *Bene* est laute, delicate. Hec. III. 5. 11. *vixit, dum vixit, bene.* *Libenter* est hilariter. Cato de R. R. c. 156. *si voles in convivio multum bibere coenareque libenter.*

47. *Ut tuo amori* etc. i. e. ut abunde tibi sit ad alendum et fovendum amorem sine tuis impensis. *Suppeditare* saepe dicitur pro suppetere, satis esse. Cic. de Off. I. 4. *parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum.* Vid. quae annotavimus ad Rutil. Lup. II. p. 116.

48. *Nec magis nemo est.* Notandum duas negationes pro una poni, quod frequens esse ostendit Duker. ad Flor. III. 17. p. 577.

Ibid. *Magis ex usu tuo* i. e. tibi utilior. Heaut. I. 2. 36. *tibi quod ex usu sit.*

49. *Tardus* i. e. hebes ingenio. Bentleius eleganti sed non necessaria coniectura legit *bardus* i. e. stultus, stolidus.

52. *Accipere* et *excipere* sunt verba convivalia. Horat. Serm. II. 8. 67. *ut ego accipiar laute.* Petron. c. 42. *Quid, si non illum optime excepisset,* ubi vid. Interpretes.

Ibid. *Prolixius* i. e. largius, benignius, ut Adelph. V. 8. 20. et saepe apud Ciceronem.

54. *In vestrum gregem* i. e. inter vestros sodales. *Grex* est multitudo tam bonorum, quam malorum. Adelph. III. 3. 8. *atque hercle hic de grege illo est.* Cic. de Amic. c. 19. *qualis erat Scipionis in nostro, ut ita dicam, grege.*

55. *Iam diu hoc saxum volvo.* Proverbium de iis, qui diu gravi et inutili labore fatigantur, ut Sisyphus apud inferos.

57. *Comedere aliquem* significat alicuius bona absumere. Plaut. Pseud. IV. 7. 25. *iamne illum comesurus es.* Heaut. III. 1. 53. *quem assidue exedent.*

Ibid. *Et deridendum.* Non. Marcell. p. 33. et mss. quidam habent *comedendum et bibendum et deridendum propino,* unde Bentleius edidit *comedendum et ebibendum vobis propino.* Fatendum est, *deridendum propinare* non nisi per duram cata-

chresin dici, verumtamen haec a parasito per vernilitatem quandam dicta videntur.

59. *Ignorare aliquem* significat alicuius indolem et mores non satis tenere. Heaut. I. 1. 53. *erras, si id credis, et me ignoras.* Cic. Acad. II. 2. *maiore studio philosophiae deditus fuit, quam qui illum ignorabant, arbitrabantur.* Contrarium est *intelligere aliquem.*

64. *Praeter promissum* i. e. contra promissum. Andr. II. 6. 5. *praeter spem evenit.* Ibid. V. 3. 8. *praeter civium morem.*

---

# IN HEAUTONTIMORUMENU

## PROLOGUM.

1. *Cur partes seni.* Prologi ab adolescentibus pronuntiari solebant statim e scena discedentibus, ut fabulam incepturis locum darent; at Terentius hic praeter morem prologi partes dedit seni actori Ambivio, qui prologo peracto de scena non discedebat, statim Chremetis partes acturus. Sic locum egregie explicat Bentleius.

3. *Quod veni* i. e. propter quod, cuius rei causa.

4. *Ex integra* i. e. quam nemo latine vertit, nemo tractavit.

6. *Duplex.* T. Faber et Bentleius verissime legunt *simplex, quae ex argumento facta est duplici* i. e. una fabula est, sed argumentum duplex, duo senes, duo adolescentes, duae amicae.

7. *Qui* saepe pro *quis* ponitur, tam in interrogatione, quam extra interrogationem. Cic. ad Div. XII. 18. *quo iste nescio qui erumperet.* Philipp. II. 13. *qui locus est aut tam desertus aut tam inhumanus, qui illos non affari atque appetere videatur.* Sic *aliqui* saepe occurrit pro *aliquis.* Duker. ad Flor. I. 18. p. 178.

10. *Didicerim.* Ut poetae, qui fabulas scribunt, eas dicuntur *docere,* ita actores *discere fabulas,* quod quisque eorum suas partes ediscit. Vid. Hec. prol. II. v. 6.

11. *Paucis dabo* i. e. paucis dicam, narrabo. Virgil. Ecl. I. 19. *iste Deus qui sit da Tityre nobis.* Phorm. V. 6. 37. *immo etiam dabo, quo magis credas.*

Ibid. *Orator* est, cui causa defendenda mandatur. Vid. Donatus ad Hec. prol. II. 1.

12. *Vestrum iudicium fecit* i. e. vos iudices constituit. Liv. XLIII. 16.

13. *Hic actor* i. e. ego, ut infra II. 3. 115. *huic homini* i. e. mihi. Talia gestu adiuvantur.

Ibid. *Poterit a facundia* i. e. tantum valebit eloquentia. Infra v. 27. *ne plus iniquum possit, quam aequum oratio.* Nep. Dion. c. 3. *Plato tantum apud Dionysium auctoritate potuit.* Praepositio *a* eleganter ponitur pro *quod attinet.* Plaut. Aulul. II. 2. 9. *haud a pecunia valeo.* Cic. in Brut. c. 66. *mediocriter a doctrina instructus.* Vid. Cortius ad Sallust. Iug. c. 48.

14. *Commode* i. e. bene, pulcre, ut Hec. I. 2. 33. *nunquam tum dices commode.*

16. *Nam quod.* Formula transeundi et connectendi. Cic. ad Attic. III. 10. *nam quod me tam saepe et tam vehementer obiurgas.* Adelph. prol. 15. *nam quod isti dicunt malevoli.* Vid. Manut. ad Cic. ad Div. V. 20.

Ibid. *Rumores distulerunt* i. e. vulgarunt. Suet. Caes. c. 33. *fama distulit.* Idem Aug. c. 14. *rumore ab obtrectatoribus dilato.* Vid. Bosius in ind. Nepot. v. *differre.*

19. *Autumat* i. e. dicit, profitetur. Plaut. Menaech. V. 2. 8. *quas si autumem omnes, nimis longus sermo siet.* Vid. Vellei. Pat. I. 6.

23. *Studium musicum* i. e. poeticum. Phorm. prol. v. 18. *qui artem tractant musicam.*

24. *Natura* i. e. ingenio. Nep. Alcib. c. 1. *in uno homine inesse tam diversam naturam.*

25. *Existimatio* i. e. iudicium. Cic. pro Rosc. Am. c. 19. *horum existimationem putares aliquid valere oportere.* Sic *existimare* pro iudicare. Cic. ad Div. I. 5. *non facile possum existimare.* Et *existimator* pro iudice. Cic. in Brut. c. 93. *existimator doctus et intelligens.* Gronov. ad Liv. IV. 41. 2.

28. *Crescere* elegantissime dicitur de hominibus, qui famam nominis vel gloriam consequuntur. Cic. pro Rosc. Am. c. 30. *accusarem alios potius, ex quibus possem crescere.* Idem pro Cluent. c. 28. *ut ex invidia senatoria posset crescere.* Virgil.

Ecl. VII. 25. *hedera crescentem ornate poetam.* Vid. Interpretes ad Ovid. Epist. XV. 117.

29. *Novarum qui spectandi.* Aliquando gerundium in *di* construitur cum genit. alterius generis vel numeri, de qua structura vid. Perizon. ad Sanct. Min. III. 8. p. 441.

32. *Decesse populum.* Interpretes frustra se torquent in hac lectione explicanda. Verissima est Perizonii et Bentleii emendatio *dixisse populum.* Nam Terentius Luscio Lavinio vitio vertit, quod populum in scenam induxerit cum servo loquentem.

36. *Statariam* scil. fabulam. *Stataria fabula* dicitur, in qua non multi discursus sunt; quae sedatior maximam partem est et stando agitur, cui opponitur *motoria*, quae multos habet motus et cursus. Vid. Cic. in Brut. c. 30.

41. *Mea causa* elegantius et magis ex usu veterum dicitur quam *mei causa.* Infra V. 5. 23. Vid. Burmann. ad Phaedr. I. 22. 4.

44. *Si qua.* Bentleius metri causa edidit *si quae.* Promiscue dicitur *si qui* et *si quis, si quae* et *si qua.* Vid. Interpretes ad Cic. ad Attic. IV. 2. et Bentleius ad Horat. Serm. II. 6. 10.

45. *Grex* proprie dicitur de histrionibus. Phorm. prol. v. 32. *noster grex motus loco est.* Petron. c. 80. *grex agit in scena mimum*, ubi vid. Interpretes.

50. *Servire vestris commodis* i. e. facere quod commoda vestra postulant. Hec. III. 5. 45. *matris servibo commodis.*

51. *Adolescentuli* scil. histriones, actores. *Sibi placere* dicuntur arrogantes et superbi iactatores. Petron. c. 46. *etiamsi magister eius sibi placens sit*, ubi vid. Burmannus.

## ACT. I. SC. I.

6. *Virtus me facit ut moneam* pro virtus facit, ut ego moneam, cuius constructionis exempla supra dedimus.

11. *Plus eo;* suppl. *tempore.* Liv. XXVII. 50. *per omnes dies ex quo.* Idem XXXIV. 26. *per aliquot aetates, ex quo.* Hec. III. 4. 7. *Dies triginta aut plus eo in navi fui.*

12. *Agrum pretii maioris.* Sic Cic. ad Div. XIII. 77. dixit *bibliothecam multorum nummorum.* Sallust. Iug. c. 85. *hominem multarum imaginum,* ubi vid. Cortium.

13. *Proinde* ponitur pro perinde. Vid. not. ad Rutil. Lup. I. p. 31. Ea particula hic iungitur cum *quasi* ut Phorm. II. 3. 35. *proinde expiscare quasi non nosses.* Iungitur etiam cum *ut* et *ac.* Nep. Lysandr. c. 2. *proinde ac si iidem firmissimi solerent esse amici.* Vid. Manut. ad Cic. ad Div. XI. 28. et Graevius ad X. 24.

14. *Fungi* more antiquo struitur cum accusativo. Adelph. III. 4. 18. *liberalis functus officium est viri.*

15. *Vesperi* pro *vespere* a nom. *vesper.* Vossius de Analog. I. 35. p. 168.

17. *Aliquid* ponitur pro *aliud quid.* Ovid. Epist. XII. 80. *et si forte aliquos gens habet ista Deos.* Vid. Oudendorp. ad Suet. Tiber. c. 47. Pro *ferre* recte Bentleius ex libris antiquis revocavit *facere.*

18. *Neque te respicis* i. e. nullam tui rationem habes. Phorm. II. 3. 87. *respice aetatem tuam.* Cic. ad Div. X. 24. *quod si aut Caesar se respexerit,* ubi vid. Graevius. Quintil. Decl. IX. c. 5. dixit *facere aliquid sine sui respectu.*

20. *At enim me poenitet,* h. e. dolet mihi, tam parum operis rustici fieri. Nam dum tu aras, fodis, servi cessant. Vid. Bentleius ad h. l. et notata ad Eunuch. V. 7. 12.

22. *Exercere* est nullum quiescendi tempus dare. Virg. Georg. I. 210. *exercete, viri, tauros.* Adelph. IV. 2. 48. *ego te exercebo hodie.* Vid. Schulting. ad Senec. Controv. II. p. 129.

25. *Homo sum.* Significat Chremes se hominem esse et, quia natura cognationem quandam inter homines constituit, aliorum etiam hominum malis affici. Hunc verum loci sensum esse non modo contextus docet, sed etiam Cicero de Off. I. 9. ubi vid. Graevius. At qui hodie latine scribunt, hoc loco ineptissime utuntur velut proverbio ad errorem vel suum vel aliorum excusandum. Vid. quae diximus ad Rutil. Lup. II. p. 114.

27. *Rectum est, ego ut faciam: non est, te ut deterream.* Hunc locum ita legit et interpungit Bentleius: *rectum est? ego ut faciam; non est? te ut deterream.*

Ibid. *Deterream.* In verbo *deterrere* non semper est significatio terroris aut minarum, sed saepe notat dehortari, dissuadere. Adelph. I. 2. 64. *cum placo, advorsor sedulo et deterreo.* Cic. ad Div. I. 7. *ego te ut ad certam laudem adhortor, sic a dimicatione deterreo.* Vid. Broukhus. ad Tibull. I. 3. 13.

28. *Mihi sic est usus* i. e. mihi sic utile est, mihi sic opus est. Plaut. Amphitr. I. 3. 7. *citius quod non facto est usus, fit quam quod facto est opus.* Terent. Hec. III. 1. 47. *non usus facto est mihi nunc hunc intro sequi.* Lambin. ad Lucret. I. 185. et Perizon. ad Sanctii Min. IV. 15. p. 791.

30. *Labor* saepe est grave incommodum, miseria. Virgil. Aen. I. 241. *Quem das finem, rex magne, laborum.* Iustin. XII. 8. *exercitus non minus victoriarum numero, quam laboribus fessus.* Andr. IV. 3. 5. *misera quem capit laborem.* Vid. Bentleius ad h. l.

31. *Quid de te tantum meruisti* i. e. quid admisisti, ut tantas a te poenas sumas. Vid. infra v. 40. et 95.

35. *Qua dixi* pro *quam dixi*, qui elegantissimus Graecismus est. Horat. Serm. I. 6. 15. *iudice, quo nosti populo,* ubi plura Bentleius.

37. *Adpone* i. e. ad pedes pone. Plaut. Poen. IV. 2. 35. *at onus urget. M. at tu adpone.* Al. editiones habent *depone*, quod idem est.

Ibid. *Quam rem agis* i. e. quid tibi vis, ut alibi loquitur. Infra IV. 4. 18. De formula vid. Bentleius ad Hor. Serm. II. 6. 29.

40. *Tam graves;* nempe in opere rustico faciendo valida et ponderosa instrumenta adhibebantur. Tibull. II. 3. 6. ubi vid. Broukhusius.

45. *Perdite* i. e. vehementer. Phorm. I. 2. 32. *hunc amare coepit perdite.*

47. *Non humanitus* i. e. non more humano, non clementer. Rutil. Lup. II. p. 85. *commotus humanitus precibus,* ubi vid. quae annotavimus.

49. *Via pervulgata* i. e. usitata ratione agendi. Propert. I. 1. 18. *Nec meminit notas, ut prius, ire vias.*

53. *Erras si id credis.* Eadem formula apud Petron. c. 94. *erras si putas,* ubi vid. Burmann.

58. *Istuc aetatis* pro cum ea essem aetate. Sic saepe Veteres eleganter loquuntur. Liv. X. 24. *id aetatis,* ubi vid. Drakenborch.

60. *Belli* pro in bello construitur ut *militiae* pro in militia. Adelph. III. 4. 49. *una semper militiae et domi fuimus.* Vid. Drakenb. ad Liv. I. 34. 12.

61. *Adeo res rediit* pro eo res rediit. Sic etiam Phorm. I. 2. 5.

74. *Pro se quisque* i. e. quisque quantum poterat. Cic. Verr. I. 27. *pro se quisque, ut in quoque auctoritatis plurimum erat, ad populum loquebatur.* Lang. ad Cic. de Off. III. 14. *Quisque* autem ut collectivum recte iungitur plurali. Vid. Fabricius ad h. l. et Drakenb. ad Liv. II. 22. 7.

77. *Mea solius causa* eleganter pro mei solius causa. Rutil. Lup. I. p. 25. *unius opera mea.* Vid. Gronov. ad Senec. Epist. XIII. et Drakenb. ad Liv. VII. 40. 9.

Ibid. *Sollicitі* i. e. occupati, ut infra III. 1. 52. *omnes sollicitos habuit.*

Ibid. *Explere aliquem* significat satisfacere alicui. Cic. ad Div. II. 1. *non enim vereor, ne non scribendo te expleam.*

78. *Ancillae me vestiant* i. e. occupatae sint in lana tractanda, ex eaque mihi vestes conficiant.

84. *Vitam colet* i. e. vivet. Plaut. Trin. III. 2. 74. *atque eum agrum dederis nec quidquam tibi hic sit, qui vitam colas.* Cic. ad Attic. XII. 28. *nunc nec victum nec vitam illam colere possum.*

89. *Vasa* dicuntur omnis generis supellex et impedimenta, ut in notissima locutione *colligere vasa.* Sallust. Catil. 51.

91. *Sumptum exercerent.* Multum laborat in hoc loco explicando Gronovius Obss. in Script. Eccles. I. p. 7. Verum non dubitandum est, quin felicissime correxerint viri eruditi *sumptum exsercirent,* antique pro *exsarcirent* i. e. compensarent.

Festus ad hunc ipsum locum respiciens: *Exsercirent, sarcirent.* Notae sunt locutiones *damnum sarcire, resarcire* etc. Vid. Bentleius ad h. l.

92. *Inscribere aedes* i. e. tabula publice suspensa significare, aedes vel vendendas esse vel locandas. Plaut. Trin. I. 2. 131. *aedes venales hasce inscribit litteris.* Pro quo frequentius dicitur *aedes proscribere.* Cic. ad Att. IV. 2. *Tusculanum proscripsi,* ubi vid. Manutius. ad Div. VII. 29. *quod quidem si venale proscripserit,* ubi vid. Graevius.

93. *Quasi* numeralibus additum significat fere, circiter. Liv. XXVII. 12. *cecidere in pugna quasi ad duo millia,* ubi vid. Gronovius.

94. *Coegi* i. e. collegi. *Cogere* proprium verbum est de rebus venditis, unde pecunia conficitur. Cic. Verr. II. 48. *quod genus pecuniae cogendae praeteriit.* Vid. Gronov. ad Liv. XXXII. 2. 7. Hinc *coactiones argentariae* apud Sueton Vespas. c. 1. ubi vid. Torrentius. Pro *cogere pecuniam* etiam dicitur *redigere pecuniam.* Liv. XXXVIII. c. ult. *nequaquam tantum redactum est quantae summae damnatus fuerat.* Bentleius ad Horat. Epod. II. 69.

95. *Decrevi* i. e. iudicavi, existimavi. Cic. ad Div. II. 6. *in quo posita omnia mea esse decrevi.* ad Attic. III. 15. *quod in me ipso satis consilii esse decreras.* Perizon. ad Sanct. Min. IV. 15. p. 775.

98. *Particeps* filius dicitur, quia patre vivo habet ius bonorum, sed eo mortuo demum possessionem. Vid. Cic. Verr. I. 44.

99. *Liberos.* Saepe Veteres de uno filio liberos et natos dicunt, ut supra annotavimus.

102. *Non vere* i. e. non recta ratione. Adelph. V. 9. 30. *id non fieri ex vera vita, neque adeo ex aequo et bono.*

106. *Peccatum a me maximum est.* Perizon. ad Sanct. Min. IV. 4. p. 618. integram constructionem esse putat: negotium quod a me est peccatum, est maximum. Sed praestat *a me* accipere pro a parte mea.

107. *Recte spero* i. e. spero omnia tibi ex voto cessura. *Recte* in omni genere dicitur de rebus ita comparatis ut debent et optamus. Adelph. III, 1. 2. *recte aedepol spero.*

110. *Dionysia* Athenis celebrabantur in honorem Dionysi vel Bacchi. De hoc festo disputavimus in Auctario Emendat. ad Hesych. s. v.

Ibid. *Apud me sis* i. e. mecum coenes. Iuven. Sat. V. 18. *una simus ait.* Infra I. 2. 11. *ut nobiscum hodie esset.*

116. *Ut diei tempus est.* Ex formula dicitur, ut apud Ciceronem *quomodo nunc est.* Manut. ad Cic. ad Div. III. 1. In hac autem formula *diei* abundat ut apud Sallust. Iug. c. 52. *iam diei vesper erat,* ubi vid. Cortius.

117. *Monere oportet.* Veteres convivas, si morarentur, per servos, qui proprie *monitores* dicebantur, admonere solebant ut ad coenam venirent. Apulei. Met. III. p. 134. Ad hunc morem respicitur in Lucae Evang. XIV. 17.

## ACT. I. SC. II.

9. *Abduxi ad coenam.* Male in nonnullis editionibus legitur *adduxi.* Verba cum praepositione *a* vel *ab* composita in regimine eleganter iunguntur cum praepositione *ad*, ut *avolare ad equites, avocare ad bellum, abducere in interiorem partem aedium,* de quibus vid. Drakenb. ad Liv. I. 57. *citatis equis avolant Romam.*

11. *Amplius* iungendum est cum verbo *invitatum.* Chremes volebat Menedemum amplius quam factum erat invitatum esse. Nam etsi supra dixerat *apud me sis volo,* tamen illo recusante ultra invitare destiterat. Vid. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 11. p. 723.

12. *Obiici* dicuntur, quae praeter opinionem eveniunt. Adelph. IV. 4. 1. *hocine de improviso mali mihi obiici.* Liv. VI. 14. *quae ubi obiecta spes est.*

18. *Est* ponitur pro licet, par est. Adelph V. 3. 42. *scire est liberum ingenium atque animum.* Ovid. Art. Am. II. 28. *sit mihi posse mori,* ubi exemplorum vim congessit Heinsius.

25. *Reprimam* i. e. impetum loquendi continebo. Hec. V. 1. 39. *sed reprimam me, ne aegre quicquam ex me audias.*

26. *Ut ut erat* i. e. quomodocunque erat. Adelph. II. 2. 40. *Ut ut haec sunt acta.* Rarius dicitur cum subiunctivo *ut ut sit.* Vid. Interpretes ad Cic. ad Attic. X. 4.

27. *Praeter eius libidinem* i. e. contra eius voluntatem. *Libido* est voluntas ut Hec. IV. 1. 19. *advorsum animi tui libidinem.*

31. *Paulo qui est homo tolerabilis* i. e. qui est ex illo hominum genere, qui non durissimi sunt et intractabiles. Singularem enim posuit pro plurali. Vid. scholion cod. Bembini quod Faernus protulit. *Paulo tolerabilis* pro paulo tolerabilior. Sic *paulo* cum positivo est apud Cic. ad Attic. VIII. 12. *ut non solum gloriosis consiliis utamur, sed etiam paulo salubribus,* ubi vid. Interpretes.

34. *Animus se cupiditate* etc. i. e. animus captus est et deditus pravae cupiditati. Cic. in Brut. c. 12. *nec in impeditis ac regum dominatione devinctis nasci cupiditas dicendi solet.* ad Div. XV. 4. *in omnibus saeculis pauciores viri reperti sunt qui suas cupiditates quam qui hostium copias vincerent.*

36. *Scitum est* i. e. pulcra et egregia est sententia. Phorm. V. 4. 2. *Quam scitum est, eiusmodi parare in animo cupiditates.*

Ibid. *Periculum ex aliis facere tibi quod ex usu siet* i. e. ex alieno periculo sapere et discere quid tibi prosit. Recte Bentleius *quid* ex mss. reposuit pro *quod.* Nam *quod* ad ipsum modo periculum respicit, *quid* ad alia similia atque ad alia etiam contraria.

## ACT. II. SC. I.

5. *Facili patre* i. e. leni, benigno. Suet. Aug. c. 67. *patronus dominusque non minus severus, quam facilis et clemens.*

Ibid. *Utetur patre* i. e. habebit patrem. Nep. Attic. c. 1. *patre usus est diligente.*

8. *Adbibit plus paulo* i. e. cum paulo largius bibit. Terentium imitatur Gellius II. 22. *quia plus paulo adbibi.* Sic apud Plaut. Amph. I. 1. 126. *adpotus* pro potus.

10. *Surdo narrare fabulam* dicitur, qui quid narrat alicui non attendenti.

13. *Suarum rerum sat agere* est in rebus suis satis curae et laboris habere. Plaut. Bacch. IV. 3. 23. *Nunc agitas sat tute tuarum rerum.* Cic. ad Attic. IV. 15. *pugnatur acriter, agitur tamen satis.*

15. *Potens* i. e. imperiosa, superba. Horat. A. P. v. 116. *matrona potens.*

Ibid. *Procax* proprie est, quae multa poscit, a *procari* i. e. petere. Unde etiam, qui virginem in matrimonium petunt, *proci* dicuntur. Deinde *procax* est impudens.

Ibid. *Magnificas* affluentiam rerum significat.

## ACT. II. SC. II.

1. *De amore meo* i. e. quod attinet ad amorem meum.

3. *Concurrunt multae opiniones, quae mihi animum augeant.* Versus vitiosus, quem ita emendat Bentleius: *Concurrunt multa, opinionem hanc quae mihi animo exaugeant. Augere suspiciones* est etiam Eun. III. 1. 46.

4. *Mater mala* i. e. avara, perjura.

11. *Dum moliuntur* i. e. dum magno labore apparant ornamenta. Verbum *moliri* interdum absolute dicitur.

## ACT. II. SC. III.

1. *Sermones caedere* est confabulari. Locutio ducta est a graec. *κόπτειν λόγους, ῥήματα.*

4. *Impediti* eleganter dicuntur, qui magnum habent comitatum, magna onera, multas sarcinas.

7. *Vestem* i. e. multas vestes. Liv. XXI. 31. *id meritum commeatu copiaque rerum omnium, maxime vestis, est adiutus,* ubi vid. Gronovius.

9. *De spe decidi* i. e. spe frustratus sum. Etiam omissa praepositione dicitur *spe decidere.*

25. *Reprimam* i. e. impetum loquendi continebo. Hec. V. 1. 39. *sed reprimam me, ne aegre quicquam ex me audias.*

26. *Ut ut erat* i. e. quomodocunque erat. Adelph. II. 2. 40. *Ut ut haec sunt acta.* Rarius dicitur cum subiunctivo *ut ut sit.* Vid. Interpretes ad Cic. ad Attic. X. 4.

27. *Praeter eius libidinem* i. e. contra eius voluntatem. *Libido* est voluntas ut Hec. IV. 1. 19. *advorsum animi tui libidinem.*

31. *Paulo qui est homo tolerabilis* i. e. qui est ex illo hominum genere, qui non durissimi sunt et intractabiles. Singularem enim posuit pro plurali. Vid. scholion cod. Bembini quod Faernus protulit. *Paulo tolerabilis* pro paulo tolerabilior. Sic *paulo* cum positivo est apud Cic. ad Attic. VIII. 12. *ut non solum gloriosis consiliis utamur, sed etiam paulo salubribus,* ubi vid. Interpretes.

34. *Animus se cupiditate* etc. i. e. animus captus est et deditus pravae cupiditati. Cic. in Brut. c. 12. *nec in impeditis ac regum dominatione devinctis nasci cupiditas dicendi solet.* ad Div. XV. 4. *in omnibus saeculis pauciores viri reperti sunt qui suas cupiditates quam qui hostium copias vincerent.*

36. *Scitum est* i. e. pulcra et egregia est sententia. Phorm. V. 4. 2. *Quam scitum est, eiusmodi parare in animo cupiditates.*

Ibid. *Periculum ex aliis facere tibi quod ex usu siet* i. e. ex alieno periculo sapere et discere quid tibi prosit. Recte Bentleius *quid* ex mss. reposuit pro *quod.* Nam *quod* ad ipsum modo periculum respicit, *quid* ad alia similia atque ad alia etiam contraria.

## ACT. II. SC. I.

5. *Facili patre* i. e. leni, benigno. Suet. Aug. c. 67. *patronus dominusque non minus severus, quam facilis et clemens.*

Ibid. *Utetur patre* i. e. habebit patrem. Nep. Attic. c. 1. *patre usus est diligente.*

8. *Adbibit plus paulo* i. e. cum paulo largius bibit. Terentium imitatur Gellius II. 22. *quia plus paulo adbibi.* Sic apud Plaut. Amph. I. 1. 126. *adpotus* pro potus.

10. *Surdo narrare fabulam* dicitur, qui quid narrat alicui non attendenti.

13. *Suarum rerum sat agere* est in rebus suis satis curae et laboris habere. Plaut. Bacch. IV. 3. 23. *Nunc agitas sat tute tuarum rerum.* Cic. ad Attic. IV. 15. *pugnatur acriter, agitur tamen satis.*

15. *Potens* i. e. imperiosa, superba. Horat. A. P. v. 116. *matrona potens.*

Ibid. *Procax* proprie est, quae multa poscit, a *procari* i. e. petere. Unde etiam, qui virginem in matrimonium petunt, *proci* dicuntur. Deinde *procax* est impudens.

Ibid. *Magnificas* affluentiam rerum significat.

## ACT. II. SC. II.

1. *De amore meo* i. e. quod attinet ad amorem meum.

3. *Concurrunt multae opiniones, quae mihi animum augeant.* Versus vitiosus, quem ita emendat Bentleius: *Concurrunt multa, opinionem hanc quae mihi animo exaugeant. Augere suspiciones* est etiam Eun. III. 1. 46.

4. *Mater mala* i. e. avara, periura.

11. *Dum moliuntur* i. e. dum magno labore apparant ornamenta. Verbum *moliri* interdum absolute dicitur.

## ACT. II. SC. III.

1. *Sermones caedere* est confabulari. Locutio ducta est a graec. *κόπτειν λόγους, ῥήματα.*

4. *Impediti* eleganter dicuntur, qui magnum habent comitatum, magna onera, multas sarcinas.

7. *Vestem* i. e. multas vestes. Liv. XXI. 31. *id meritum commeatu copiaque rerum omnium, maxime vestis, est adiutus,* ubi vid. Gronovius.

9. *De spe decidi* i. e. spe frustratus sum. Etiam omissa praepositione dicitur *spe decidere.*

25. *Coniecturam cepimus.* Bentleius legit *coniecturam fecimus;* sed *coniecturam capere* dicit etiam Cic. pro Mur. c. 4. *atque huiusce rei coniecturam de tuo ipsius studio facillime ceperis.*

36. *Coniicere se aliquo* significat raptim se conferre. Cic. pro Coel. c. 26. *coniicere se in fugam.* Nep. Them. c. 8. *se in aerarium coniecit.* Petron. c. 72. *coniiciamus nos in balneum.*

39. *Vitam exigere* dicitur pro simplici agere vitam. Virg. Aen. VII. 776. *Solus ubi in silvis Italis ignobilis aevum Exigeret.* Sallust. Iug. c. 14. *morte graviorem vitam exigunt,* ubi vid. Cortius.

46. *Anuis* antique pro anus.

47. *Quae ornantur sibi i. e.* non uti hae, quae amatoribus se ornant.

48. *Nulla mala re muliebri.* Intelligit cerussam, purpurissum et alia eius generis, quibus mulieres utebantur ad decus faciei addendum.

49. *Capillus prolixus.* Verissime Bentleius legit *Capillus promissus.* Nam capilli proprie dicuntur *promissi.* Ovid. Trist IV. 2. 34. *Squallida promissis qui tegit ora comis.* Virg. Ecl. VIII. 34. *Hirsutumque supercilium promissaque barba.* Liv. V. 41. *barbam suam, ut tum omnibus promissa erat, permulcenti,* ubi vid. Drakenborchius.

50. *Pax* est particula silentium indicentis vel sermonem claudentis, Graecis etiam usitata.

51. *Ne me in laetitiam frustra coniicias.* Hunc locum imitatus est Propert. III. 4. 3. *num me laetitia tumefactum fallis inani.*

56. *Sordidatam* respicit verba *pannis obsita; sordidam* verba *neglecta, immunda illuvie. Sordidatus* proprie dicitur, qui sordida veste indutus est; *sordidus,* qui corpore neglecto et immundo est. Cic. in Pis. c. 41. *nec minus laetabor, cum te semper sordidum, quam si paulisper sordidatum viderem.*

59. *Disciplina* eleganter dicitur pro consuetudine et ratione agendi. Plaut. Asin. I. 3. 49. *Si aes habent, dant mercem, eadem nos disciplina utimur.*

60. *Affectant viam ad dominas* i. e. omnia tentant, ut aditus pateat. Cic. pro Rosc. Am. c. 48. *nunc vero quam viam munitet, quod iter affectet, videtis.*

64. *Telam desinit* i. e. ad aliquod tempus intermittit. Cic. ad Div. VII. 1. *libenter mehercle artem desinerem.* Ovid. Art. Am. II. 724. *Sed neque tu dominam velis maioribus usus desine*, ubi vid. Heinsius.

66. *Scires* eleganter dicitur pro quisque sciret.

Ibid. *Desiderio tuo.* Frequentius dicitur cum genitivo *desiderio tui.* Ovid. Art. Am. III. 682. *Posse suo tangi credet amore deas.*

74. *Hoc vide* i. e. vide hominis audaciam; est formula indignantis.

81. *Potiri* h. e. amoribus frui. Ovid. Art. Am. I. 711. *Ut potiare roga, tantum cupit illa rogari.*

Ibid. *Effici* i. e. inveniri, comparari. Paulo post. v. 89. *quod ut efficerem orando surdas iam aures reddideras mihi.* Cic. Verr. II. 53. *Iam Timarchides quantam pecuniam fecerit plane adhuc cognoscere non potuistis.* Sic *efficere milites, naves* etc. pro parare. Vid. Interpretes ad Liv. XXIII. 25. 6.

82. *Haud stulte* i. e. prudenter. Ovid. Art. Am. III. 253. *Helene, quam non stulte, Menelae, reposcis.* Hanc elegantem formulam explicat Bentleius ad Horat. Serm. II. 3. 158.

95. *Vera causa* i. e. iusta. Eun. V. 4. 3. *quantam et quam veram laudem capiet Parmeno.*

96. *Firmum* est certum, verum. Sallust. Iug. c. 64. *quae omnia illis eo firmiora videbantur*, ubi vid. Cortius.

99. *Ibo obviam hinc*; rectissime Bentleius e mss. legit *ibo obviam huic* i. e. Bacchidi.

101. *In aurem utramvis dormire.* Proverbium est de iis, qui nihil metuunt, in summa securitate sunt. Plin. Epist. IV. 29. *nihil est quod in dextram aurem fiducia mel dormias.* Plautus Asin. II. 1. 5. pro eo dixit *dormitare in otio.* Vid. Burmann. ad Petron. c. 51. p. 252.

102. *Quod boni* iungendum cum *age modo.* Nam Clitipho Syri orationem interrumpit. Minus bene h. l. tentat Schwarzius ad Plin. panegyr. c. 34.

106. *Tamen istuc ago.* Sensus est: etsi abeo, tamen ad tua verba attendo. Nam particula *tamen* saepe eleganter ponitur, quasi aliud membrum cum *etsi*, cui respondere solet, praecessisset. Vid. Gronov. ad Liv. XXIII. 19. 12.

111. *Tu es iudex.* Cum iudicem suum nemo accusare soleat, Bentleio legendum videtur *tu es inlex* i. e. tu me in hoc periculum illicis. Plaut. Poen. III. 4. 35. *qui illi malae rei ante fuimus inlices.*

113. *Quasi istic* i. e. quasi in minore periculo verser quam tu. Locutio fluxit e iudiciis, ubi, quam diu *res agitur* vel lis pendet, periculum est ne quis causa cadat. Hor. Epist. I. 18. 84. *Nam tua res agitur paries cum proximus ardet.* Senec. de Clement. I. 20. *et appareat, non minus agi rem periclitantis quam iudicis.*

115. *Huic homini* i. e. mihi. Adelph. V. 7. 8. *Vin tu huic seni auscultare.* Vid. Muretum ad h. l.

117. *Scilicet facturum me esse.* Antiqua construendi ratio. Nam Veteres *scilicet*, *videlicet*, *fortassis*, quod contracta sunt ex *scire licet*, *videre licet*, *forte an sit*, cum infinitivo iungunt. Plaut. Pseud. IV. 7. 83. *scilicet solitum esse.* Lucret. II. 468. *scilicet esse globosa*, ubi vid. Lambin. Infra IV. 8. 16. *scilicet datum iri*, ubi vid. Bentleius. Plura Gronov. Obss. III. 9. et Schulting. ad Senec. Suasor. V. p. 40.

120. *Titubare* proprie dicitur de pedibus vacillantibus, unde transfertur ad linguam errantem. Plaut. Pseud. IV. 1. 32. *At vide ne titubes*, ubi vid. Gronovius.

122. *Quos spernere* i. e. quantos, summo loco et summis opibus adolescentes. Exempla huius significationis supra dedimus.

125. *Noctem* i. e. concubitum. Cic. ad Attic. I. 16. *Etiam noctes certarum mulierum atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo*

*fuerunt.* Ovid. Rem. Amor. v. 728. *Hic mihi lasciva gaudia nocte dedit.* Vid. Heinsius ad Ovid. Art. Am. II. 308.

Ibid. *Arte tractabat virum* i. e. astutia meretricia. Virg. Aen. I. 657. *At Cytherea novas artes nova pectore versat Consilia,* ubi vid. Servium. *Tractare aliquem* significat aliquem suo arbitratu ludere. Infra III. 2. 45. *Et ne ego te, si usus veniat, magnifice tractare possim.* Vid. Pricaeum ad Apul. Met. VIII. p. 461, et Burmann. ad Petron. c. 44, p. 206.

126. *Cupidum.* Haec vox proprie dicitur de amantibus libidine incensis. Tibull. I. 10, 58. *Et pateat cupidis semper aperta domus,* ubi plura Broukhus. Phorm. I. 3, 6. *nec me cupidum eo impulisset,*

Ibid. *Inopia* est negatio petitae noctis et opponitur *copiae,* quam sui facit meretrix. Eo sensu *inopia* vix alibi reperitur.

127. *Eadem* i. e. simul, subintelligitur *opera.* Plaut. Bacch. I. 1. 15. *eadem biberis, eadem dedero tibi, ubi biberis, savium,* ubi vid. Gronovius. Aliis locis in *eadem* subintelligitur *via* et pro obiter dicitur. Vox *obiter* argentea demum aetate usurpari coepit. Vid. Faernus ad h. l.

128. *Ne quid imprudens ruas* i. e. ne per imprudentiam temere quid agas. Cic. de Off. III. 13. *emtorem pati ruere.* Vid. Ernest. Clav. Cic. v. *ruere.*

131. *Inversa verba* sunt quae in alium sensum verti possunt. Lucret. I. 643. *Inversis quae sub verbis latitantia cernunt,* ubi vid. Lambinus.

Ibid. *Eversae cervices* pertinent ad amatorias ineptias et tribuuntur hominibus effeminatis, qui cervices modo huc modo illuc flectunt. Gesner. ad Claudian. in Rufin. II. 345.

132. *Abstinere* aliquando etiam cum accusativo construitur. Liv. II. 16. *ne ab obsidibus quidem iram belli hostis abstinuit,* ubi vid. Interpretes.

## ACT. II. SC. IV.

5. *In animo considero.* Pro eo dixit Adelph. III. 4. 55. *cum animo cogitare.* Sallust. Iug. c. 13. *facinus suum cum animo reputans,* ubi vid. Cortius.

6. *Omnium vestrarum* dicitur pro *omnium vestrum*, possessivum pro primitivo, quod notandum ut rarissimum.

Ibid. *Vulgus quae ab se segregant* h. e. quae se vulgo non prostituunt. Contra apud Cic. pro Coel. c. 16. *mulier, quae se omnibus pervulgaret.* Sic *vulgares* mulieres dicuntur, quae omnibus sui copiam faciunt. Ovid. Fast. IV. 865. *Numina vulgares Veneris celebrate puellae.*

8. *Expedit bonas esse vobis.* Sic Phorm. V. 2. 1. *ut malos expediat esse.* At Bentleius hic legit *bonis* et Phorm. l. l. *malis*, quae certe constructio elegantior est et optimis scriptoribus magis usitata. Vid. Heins. ad Ovid. Epist. XIV. 64. Nihil tamen mutandum. Nam quoties *licet*, *lubet*, *placet*, *expedit* et similia verba accusativis et infinitivis iunguntur, toties supprimitur dativus nominis, cuius accusativus plerumque expressus est, isque, ut integra sit oratio et structura verborum constet, supplendus. Ita ex. gr. h. l. integra oratio est: *vobis expedit vos esse bonas.* De hac constructione accuratissime disputavit Duker. ad Liv. XLII. 36. 6.

Ibid. *Bonas* vocat, quae nullam pro concubitu mercedem exigunt. Tibull. II. 4. 45. *At bona, quae nec avara fuit*, ubi vid. Broukhus. Supra II. 2. 4. *mater mala* pro avara.

9. *Colunt* i. e. observant, omni officiorum genere prosequuntur. Minus est *colere* quam *amare*. Virg. Aen. IV. 422. *Solam nam perfidus ille Te colere.* Ovid. Art. Am. I. 722. *Qui fuerat cultor, factus amator erat.* Vid. Burmann. ad Petron. c. 127. p. 607.

11. *Nisi prospectum aliquid nobis est* h. e. nisi commodis nostris consuluerimus, nisi ex quaestu corporis pecuniam collegerimus. Liv. IV. 49. *qui sedem senectuti vestrae prospiciunt.*

Ibid. *Desertae vivimus* i. e. deserimur. Cic. ad Div. XIV. 1. *Quodsi nostris consiliis usi essemus, beatissimi viveremus.* Catull. X. 33. *insulsa et molesta vivis.* In talibus adiectiva pro adverbiis ponuntur. Vid. Grohov. ad Liv. III. 50. 2.

13. *Cuius.* Notanda est numeri mutatio *cuius* pro *quorum*, ut Eun. II. 1. 20. coniungit *homines* et *eundem*. Sensum loci pulcre vidit Bentleius: ubi decrevistis in matrimonio vos vic-

turas, non in quaestu meretricio, hi se ad vos applicant, quorum mos consimilis.

19. *Incidere* pro *accidere*. Proprie dicitur de rebus malis et infelicibus. Propert I. 15. 28. *si quid forte tibi durius inciderit*. Liv. I. 58. *rem atrocem incidisse*.

20. *Tui carendum*. Constructio verbi *carere* cum genitivo notanda est ut rarior.

21. *Ingenium* dictum pro muliere tali ingenio praedita. Andr. I. 1. 26.

22. *Ut patrem tuum*. Versus conclamatus nec sine meliorum mss. ope restituendus.

23. *Intuitur* antique pro intuetur.

Ibid. *Retine me* i. e. sustine me, ne cadam. Plaut. Curcul. II. 3. 31. *retine, retine me, obsecro*.

24. *Quid stupes* i. e. quare animi deliquio tentaris.

27. *Teneo*. Hac formula utuntur, qui amicos peregre reversos amplectuntur. Petron. c. 139. *teneo te, inquit, qualem speraveram*, ubi vid. Interpretes. Senec. Herc. fur. v. 623. *teneone in auras editum an vana fruor deceptus umbra*. Vid. Graevius ad Sueton. Caes. c. 59.

## ACT. III. SC. I.

1. *Luciscit hoc iam*. Veteres coelum vel mundum appellabant *hoc*, quia non satis commodum inveniebant vocabulum, quo universi machinam exprimerent. Cic. in fragm. de univ. c. 2. *omne igitur coelum, sive mundus, sive quovis alio vocabulo gaudet, hoc a nobis nuncupatus sit*. Videntur etiam *hoc* dicentes coelum vel digitis ostendisse vel aspexisse. Plaut. Amphitr. I. 3. 45. *Eamus Amphitruo luciscit hoc iam*. Vid. Interpretes ad h. l. et ad Pompon. Mel. I. 1.

8. *Item ut* i. e. eodem modo, ut. Cic. Verr. IV. 9. *fecisti item uti praedones solent*.

11. *Ingenio egregie ad miserias natus sum* i. e. ego praeter omnes homines ita natus sum, ut miserias feram. Adelph. IV. 2. 6. *Nisi me credo huic esse natum rei ferundis miseriis*.

13. *Diem* i. e. temporis longinquitatem. Cic. ad Div. VI. 13. *et res eam quotidie et dies et opinio hominum mitiorem facit.*

19. *Cuius te fieri participem cupis* i. e. cuius fieri particeps cupis. Eun. prol. v. 1. *qui placere se studeant.*

25. *Conspectum tuum fugitat.* Pro eo Plinius panegyr. c. 22. dicit *ad conspectum tui*, ubi vid. Schwarzius.

27. *Ut essem* i. e. qualis essem. Plaut. Amphitr. prol. v. 104. *vos novisse credo iam ut sit pater meus.*

29. *Victus animus* dicitur qui facile labascit, facile de proposito recedit. Supra I. 1. 62. *saepe eadem et graviter audiendo victus est.* Virg. Aen. II. 699. *Hic vero victus genitor se tollit ad auras*, ubi vid. Servius.

33. *Fraudem* i. e. damnum. Andr. V. 4. 8. *in fraudem illicis.* Vid. Schulting. ad Senec. Controv. I. p. 102.

35. *Commeare ad mulierculam* i. e. saepe ire domo et redire ad illam. Hec. I. 2. 100. *huc raro in urbem commeat.* Lactant. III. 15. *quo animo philosophus ad meretricem famosissimam commearet.* Bentleius ad h. l. et ad Horat. Serm. II. 6. 79. ex metri rationibus reponit frequentativum *commetare*. Vulgatum tuetur Burmann. ad Sueton. Claud. c. 18.

37. *Proterrere* est terrore iniecto abigere, fugare. Plaut. Trin. III. 2. 77. *mea opera hinc proterritum te autument.* Virg. Aen. XII. 291. *adverso proterret equo*, ubi vid. Burmann. *Deterrere* eodem sensu est apud Claudian. de Bell. Get. v. 104.

39. *Intertrimentum* proprie est illud damnum, quod ex attritu rerum inter se oritur, sed deinde ponitur pro omni damno et iactura. Vid. Brisson. de Verbor. Sign. s. v.

41. *Instructa pulcre* i. e. bene edocta. Cic. de Senect. c. 9. *ut adolescentulos ad omne officii munus instruat.*

43. *Oneratas veste.* Ita Liv. IX. 17. *oneratum fortunae suae apparatibus*, ubi vid. Gronovius.

Ibid. *Satrapes.* Sic a Persis dicebatur provinciae praefectus.

46. *Sensi* i. e. cum malo ac damno meo expertus sum; quam verbi vim supra explicuimus.

48. *Pytissando* a graeco verbo πυτίζω vel dor. πυτίσσω Latini formarunt *pytisso*, quod proprie significat vinum levi-

ter gusto et gustatum exspuo. Hinc *pytisma* est vinum, quod ex ore reiicitur. Vitruv. VII. 4. Vid. Burmann. ad Petron. c. 28.

50. *Pater.* Sic seniores honoris causa appellabantur. Vid Torrent. ad Horat. Epist. I. 6. 54. *Frater, Pater, adde: Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.*

Ibid. *Lenius* i. e. suavius, cui asperum vinum opponit Plin. Hist. Nat. XIV. 19. Vid. Broukhus. ad Propert. I. 9. 12. *Carmina mansuetus lenia quaerit Amor.*

Ibid. *Vide* i. e. cura vel gusta, explora.

51. *Relevi dolia.* Veteres dolia vinea picato cortice claudere solebant, quod dicebant *oblinere dolia.* Cato de R. R. 120. Contra cum dolia aperire vellent, picem oblitam tollebant, quod dicebant *dolia relinere.* Vid. Horat. Carm. III. 8. 10.

Ibid. *Seria* est vas fictile et oblongum.

52. *Omnes sollicitos habui.* Legendum de Bentleii coniectura *omnes habuit sollicitos.* Bacchis scilicet fastidio suo et elegantia omnes sollicitos et exercitos habuit. *Sollicitum aliquem habere* significat aliquem occupare. Cic. ad Div. VI. 13. *diutius velle videtur eos habere sollicitos.*

53. *Quid te futurum censes.* Sic Phorm. I. 2. 87. *Quid te futurum est.* Eodem modo Veteres dicebant *quid hoc homine facias* pro *de hoc homine.* Vid. Drakenb. ad Liv. XXXIII. 28. 10.

54. *Sic me Di amabant.* Formula iurantium et optantium. Infra IV. 5. 1. Hec. II. 1. 9. Ceterum *amabant* ponitur pro *ament.* Nam futura indicat. habent vim optativi vel imperativi. Vid. Perizon. ad Sanct. Min. I. 13. 2. p. 95.

Ibid. *Fortunarum tuarum* i. e. rerum, facultatum tuarum. Phorm. I. 4. 23. *Quod si eo meae fortunae redeunt.*

56. *Perdat* i. e. inutiles sumptus faciat. Adelph. I. 2. 54. *profundat, perdat, pereat, nihil ad me adtinet.* Cic. ad Div. V. 5. *Quae si non profundere ac perdere videbor.* Broukhus. ad Propert. II. 6. 8. *Quam possem nuptae perdere amore faces.* Ceterum similis et locus Rutilii Lupi I. p. 19.

59. *Ut nescientem.* Legendum *ut ne scientem sentiat te id sibi dare.* Constructio est, ut ne sentiat te scientem id sibi dare. Vid. Bentleius ad h. l.

63. *Illos ibi esse* i. e. illos id agere, id moliri. Infra V. 2. 30. *Immo et ibi nunc sum.* Plaut. Mil. I. 1. 28. *at indiligenter hic eram.*

64. *Syrus cum illo vestro consusurrat.* Hic versus in antiquis libris rectius sic legitur: *Syrus cum illo vestro consusurrant*; *conferunt consilia ad adolescentes.* *Syrus cum illo vestro* ponitur pro *Syrus et ille vester*, atque adeo recte iungitur plurali *consusurrant*, cuius syntaxis exempla saepe reperiuntur. Sallust. Catil. c. 43. *Lentulus cum ceteris constituerant.* Nep. Phoc. c. 2. *Demosthenes cum ceteris erant expulsi.* Virgil. Aen. I. 292. *Remo cum fratre Quirinus iura dabunt.* *Conferunt ad adolescentes* dicitur pro una ferunt, referunt ad adolescentes. Vid. Bentleius ad h. l.

70. *Prodere vitam* i. e. famam, salutem, et quidquid carum est proiicere, periculo exponere. Cic. pro Flacc. c. 41. *ego te inquam prodidero.* Iustin. XIX. 3. *Sed ne hos morte sua proderet.*

71. *Amittas* i. e. dimittas. Phorm. III. 2. 22. *Nam neque quo pacto a me amittam neque uti retineam scio.* Vid. notat. ad Andr. V. 3. 27.

72. *Fenestram ad nequitiam patefeceris* i. e. occasionem nequiter agendi praebuisti, viam ad nequitiam aperuisti. Sueton. Tiber. c. 28. *si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis*, ubi vid. Casaubon. Proprie *fenestra* est foramen in pariete vel muro.

82. *Somnum non vidi* i. e. non dormivi. Cic. ad Div. VII. 30. *fuit mirifica vigilantia qui suo toto consulatu somnum non viderit.* Ovid. Epist. XVIII. 27. *His ego si vidi mulcentem pectora somnum Noctibus.*

87. *Maturent facere* i. e. festinent facere. Caesar B. G. I. 7. *Caesari cum id nuntiatum esset, maturat proficisci.* Liv. XXIX. 12. *quod nisi omni vi perficere maturasset.* Gronov. ad Liv. XXXIX. 45. 5.

93. *Ambigunt de finibus* i. e. litigant de agrorum limitibus. Liv. XLII. 29. *Antiochus ambigendo de Coelesyria causam belli se habiturum existimabat*, ubi vid. Interpretes.

92. *Operam daturum.* Iudices vel arbitri, qui audiunt de controversia disputantes, proprie dicuntur *operam dare.* Cic. ad Div. VII. 24. *dixit iudicem sibi operam dare constituisse.*

94. *Ita comparatam esse hominum naturam.* Latini dicunt *ita comparatum est naturae, ita comparatum est natura, ita comparata est natura,* ut h. l. Barbarismus est scriptorum aetatis nostrae *ita comparatum est cum natura.* Vid. Vorstium de Latinit. merito suspecta c. 3.

95. *Aliena melius ut videant* h. e. in alienis plus sapiant, plus intelligant. Cic. Philipp. II. 15. et ad Div. VI. 4. ubi vid. Graevius.

## ACT. III. SC. II.

2. *Intendere fallaciam in aliquem* est alicui dolum struere. Metaphora ducta est vel a retibus, quae ad feras capiendas intenduntur vel potius a machinis bellicis, quibus muri deiiciuntur. Nam hae machinae funibus intenduntur. Plaut. Bacch. IV. 4. 58. *intendam ballistam in senem.* Infra v. 34. *ad senem aliquam fabricam fingit.* *Fabrica* est machina bellica.

3. *Struere* i. e. clam moliri, agitare. Liv. XXIV. 23. *id moliri clam eos atque struere.* Frequens est *insidias struere.*

5. *Provincia* saepe metaphorice ponitur pro negotio vel munere. Phorm. I. 2. 22. *provinciam cepisti duram.* Cic. pro Coel. c. 27. *hoc fuit totum consilium mulieris, haec istorum provincia qui rogati sunt.*

10. *Aquilae senectus.* Est proverbium de senectute vegeta et virili.

Ibid. *Mulier commoda* i. e. comis, facilis, iucunda in convictu. Cic. pro Mur. c. 31. *quenquamne existimas Catone commodiorem, comiorem, moderatiorem fuisse.* Horat. Carm. IV. 8. 1. *Donarem pateras grataque commodus meis aera sodalibus,* ubi vid. Lambin. *Commodo* opponitur morosus et difficilis. Casaubon. ad Theophr. Charact. c. 20. p. 325.

12. *Sic satis* i. e. mediocriter. Infra IV. 5. 22. *immo sic satis,* ubi vid. Bentleius.

15. *Aridum* i. e. parcum, avarum. Plaut. Pers. II. 3. 14. *triparcos homines, vetulos, avidos, aridos.* Idem Aulul. II. 4. 18. *Pumex non aeque est aridus atque hic est senex.*

18. *Quid ego nesciam.* Verissime emendat Palmerius *quid ego ni sciam* pro quidni ego sciam. Adelph. IV. 5. 28. *Quid illam ni abducat.*

20. *Male* i. e. valde. Hec. III. 2. 2. *male metuo.*

26. *In loco* i. e. apto loco et tempore, opportune. Adelph. II. 2. 8. *pecuniam in loco negligere.* Horat. Carm. IV. 12. 28. *dulce est desipere in loco.* Sic *tempore* simpliciter dicitur pro opportuno tempore. Vid. Manut. ad Cic. ad Div. IX. 16. *temperius fiat.*

33. *Tolerare sumptus* est parem esse sumptibus ferendis. Sallust. Catil. c. 24. *quae primo ingentes sumptus stupro corporis toleraverant.*

34. *Ad senem* i. e. adversus senem. Propert. II. 19. 9. *Lernaeas pugnet ad hydras.* Vid. Burmann. ad Phaedr. IV. 3. 5.

37. *Calleo* i. e. longo usu peritus sum. Iustin. XXIV. 4. *augurandi studio Galli praeter ceteros cullent.*

38. *Tanto melior.* Elegans laudandi et adprobandi formula. Phaedr. III. 5. 3. *tanto, inquit, melior.* Senec. Epist. 31. *admirabor et clamabo: tanto melior.* Vid. Gronov. Obss. II. 21. et Schwarz. ad Plin. Panegyr. c. 71. Contrarium est *tanto nequior* Adelph. IV. 1. 12.

Ibid. *Non est mentiri meum* h e. mentiri non soleo. Lucilius apud Lactant. VI. 18. *Homini amico ac familiari non est mentiri meum.* Similiter dicitur *patrium est.* Burmann. ad Valer. Flacc. II. 156.

42. *Non usus veniet* h. e. non eveniet, vel, quod idem est, non usu veniet. Vid. v. 45. et 46.

43. *Illum senserint* scil. talia moliri.

48. *Unquam* per pleonasmum abundat.

49. *Nec cum malefacerem* etc. Sensus hic est: nec unquam cum malefacere constituissem, tempus fuit, quo mihi impunius id licere crederem.

## ACT. III. SC. III.

2. *Manum in sinum inserere.* *Sinus* est gremium. Duker. ad Flor. II. 6. p. 271. Apposite Petron. c. 24. *vocatumque ad se in osculum adplicuit, mox manum etiam demisit in sinum.* Imitatus est h. l. Ovid. Amor. II. 15. 11. *dominae cupiam tetigisse papillas Et laevam tunicis inseruisse manum.*

5. *Istaec quidem contumelia est.* Particula *quidem* in hac formula magnam vim habet. Plaut. Captiv. III. 5. 92. *vis haec quidem est.* Sueton. Caes. c. 82. *ista quidem vis est.* Vid. Schwarz. ad Plin. Panegyr. c. 25.

6. *Subagitare* i. e. lascivius et protervius contrectare; aliis locis ipsam libidinis perfectionem significat. Vid. Eugraph. ad h. l.

7. *In vino* i. e. inter potandum. Plaut. Truculo IV. 4. 1. *Lutea est meretrix, nisi quae sapit in vino ad rem suam.* Catull. XII. 2. *non belle uteris in ioco atque vino.* Cic. ad Div. XII. 2. *quae in lustris et in vino commentatio potuit esse.* Horatius Carm. III. 6. 25. pro eo dicit *inter vina.*

9. *Advertunt.* Palmerius legit *novi ego amantis: animum advertunt*; quae coniectura placet Bentleio, quod *advertere* apud Terentium et Plautum non absolute dicatur; sed sic est apud Liv. XLIV. 46. *quum non sine causa delectam esse regiam advertit.* Vid. Drakenb. ad Liv. VI. 2. 10.

10. *Fides esse* dicitur illi, cui creditur. Phorm. V. 3. 27. *itane parvam mihi fidem esse apud te.*

11. *Ab ore* i. e. ex oculis. *Os* saepe de praesentia et conspectu dicitur. Cic. Verr. II. 33. *quae in ore atque in oculis provinciae gesta sunt.* Senec. de Benef. VII. 19. *in ore parentum filios iugulat.* Adelph. II. 4. 5. *vereor coram in os te laudare.* Vid. Graev. ad Cic. de Offic. III. 1.

23. *Se indicarit* i. e. se prodiderit. Vid. dictata ad Eun. V. 6. 13.

29. *Comprimito manus* i. e. contine, cohibe manus a lascivis contrectationibus. Liv. VII. 13. *Compressis, quod aiunt, manibus sedeas?* *Continere manus* est Adelph. IV. 2. 26. Eo-

dem sensu dicitur *animos comprimere*, *animam*, *vocem comprimere*.

31. *Servas* i. e. observas. Vid. Schwarz. ad Plin. Panegyr. c. 40. ubi eodem modo coniunguntur *observator* et *castigator*.

37. *Aliud ex alio incidit* i. e. dum tecum ea de re loquor, alia res in mentem venit. Cic. ad Attic. XVI. 14. *Sed, ut aliud ex alio, mihi non est dubium, quin* etc.

38. *Si scias* scil. eius ingenium.

40. *Drachmarum mille.* Supplendum esse *pondo* docet Gronovius de Pec. vet. I. 10.

Ibid. *Dederat mutuum.* Melioris aetatis scriptores semper dicunt *pecuniam mutuam dare*, non *pecuniam mutuo dare*. Vid. Gronov. l. c. III. 1. Sed posterioris aetatis scriptores a veteri norma recesserunt, ut Iustin. XVII. 2. *Pyrrhus ab Antigono naves ad exercitum in Italiam deportandum mutuo petit.*

42. *Relicta arraboni est* i. e. relicta est pro pignore. Vid. Cato apud Gell. XVII. 2. Eadem constructione Plautus dixit Mostell. IV. 3. 21. *Quid arraboni tibi dedit.* *Arrabo* est argumentum emtionis et venditionis contractae; interdum pro pignore ut h. l. dicitur. Vid. Fabrotum ad Cuiacii Paratitla in Cod. T. II. p. 215.

45. *Post daturam.* Versus corruptissimus, quem ita corrigit Bentleius *illa illi tamen post datum iri mille numum praes sit. Ch. et praes sit quidem.*

50. *Optata loquere.* Avertendi ominis formula est, ut *melius ominare*, *melius loquere*, *bona verba quaeso* etc. Vid. Interpretes ad Petron. c. 45. *oro te melius loquere.*

## ACT. IV. SC. I.

1. *Nisi me animus fallit.* In hac formula *animus* significat opinionem, cogitationem, ut in formulis *fert animus*, *est animus*. Drakenborch. ad Sil. Ital. XVI. 294.

7. *Non temere est* h. e. non est sine causa, ut Eun. II. 2. 60. et Phorm. V. 3. 19. *non temere dico.*

15. *Damno augeri* dicitur pro maiore damno affici, ut apud Plaut. Bacch. IV. 8. 45. *mactari infortunio*. Vid. Lambin. ad Lucret. I. 100.

17. *Inscitiam* i. e. stultitiam.

22. *Imperium exsequi* i. e. perficere, quae imperantur. Liv. IV. 28. *haec locutum exsequentemque dicta redintegrato clamore secuti*, ubi vid. Drakenborch.

24. *Misericordia*, *animus maternus* scil. te impulerunt, ut exponeres.

30. *Nihil vident* i. e. nihil curant.

31. *Vincor* i. e. argumentis convincor. Cic. pro Cluent. c. 44. *vince virum bonum fuisse Oppianicum*. Liv. XXVII. 11. *vel Hannibale iudice victurus esset*, ubi vid. Gronovius. Phorm. III. 2. 16. *veris vincor*.

32. *Quanto tuus est animus*. Hunc versum, quem omnes corruptum esse fatentur, Bentleius ita reficit: *quanto tu me es annis gravior, tanto es ignoscentior*. *Ignoscentior* est pronior ad ignoscendum. Terentium imitatus videtur Ovid. Trist. III. 5. 31. *Quo quis enim maior, magis est placabilis irae*.

33. *In iustitia tua* h. e. in lenitate tua. Cic. pro Marcell. c. 4. *haec tua iustitia et lenitas animi florescet quotidie magis*. Sic *iusta servitus* pro leni Andr. I. 1. 9. ubi vid. notata.

34. *Factum ignoscam*. Sic etiam locuti sunt Plautus Amphitr. I. 1. 101. *ignoscamus peccatum suum* et Virgilius Cul. v. 293. *parvum si Tartara nossent Peccatum ignovisse*. Frequentius est *ignoscere facto*.

37. *Religiosae* i. e. superstitiosae. Sic *religio* saepe dicitur pro superstitione. Vid. Graevius ad Iustin. XXII. 6.

42. *Servandum mihi dedit*. Veteres, dum lavabantur, anulos ponere solebant. Burmann. ad Ovid. Amor. II. 15. 24.

## ACT. IV. SC. II.

2. *In angustum coguntur copiae* h. e. consilia mea sic impediuntur, ut ea expedire non possim. Metaphora sumta est ab exercitu, qui loco iniquo inclusus se explicare non potest.

Senec. Controv. III. p. 248. *in quam angusto domus meae fortuna posita est? aut patri pereundum est aut filio.*

5. *Latere tecto abscedere* significat e periculo sine damno evadere. Translatio est a re militari, ubi *latus tegere* dicuntur, qui scutis adversus tela muniti sunt; contra *latus apertum dare*, cum expositi sunt ictibus telorum. Caesar B. G. I. 25. *Tulingi ex itinere nostros latere aperto adgressi circumvenire coeperunt.* Vid. Lambinus ad Horat. Serm. I. 3. 59. et Broukhusius ad Tibull. I. 4. 46.

6. *Bolum mihi ereptum e faucibus* i. e. ademtam mihi esse occasionem parandae pecuniae, quam tenere iam putabam. *Bolus* proprie est offa, quae canibus obiicitur.

7. *Ratio de integro ineunda est* i. e. aliud novum consilium capiendum. Cic. ad. Div. V. 20. *a me inita ratio est.* Sic frequens est *consilium inire*, ut apud Liv. XL. 12. 13. ubi vid. Drakenborch.

10. *Optimam* scil. fallaciam.

11. *Retraham.* Proprie usus est hoc verbo. Nam fugitivi proprie *retrahi* dicuntur. Sueton. Aug. c. 17. *Caesarionem retractum e fuga supplicio affecit.* Dukerus ad Flor. III. 19. p. 593.

## ACT. IV. SC. III.

10. *Da te mihi vicissim* h. e. vicissim mihi inservi. Adelph. V. 3. 52. *Da te hodie mihi.* Vid. Heinsius ad Ovid. Epist. XVI. 161.

15. *Deorum vitam apti sumus* h. e. summam felicitatem consecuti sumus. *Aptus* est ab antiquo *apiscor*, unde *adipiscor*, *adeptus*. Vid. Interpretes ad Liv. IV. 3. *non praeciditur spes plebeio quoque, si dignus summo honore erit, apiscendi summi honoris*, et Bentleius ad Phorm. II. 3. 59.

22. *Quo ore* i. e. qua fiducia, qua audacia. Phorm. V. 7. 23. *quo redibo ore ad eam.* Ibid. V. 8. 53. *quo ore illum obiurgabis.* Ovid. Epist. VI. 145. *quo vultu natos, quo me, scelerate, videres.*

28. *Recta via rem narrare* idem est quod paulo ante *aperte, ita ut res se habet, narrare.* Vid. Broukhus. ad Propert. II. 25. 46.

31. *Me effero* i. e. me iacto, glorior. Flor. I. 26. *Manlium altius se et incivilius efferentem ab arce deiecit.*

40. *Tantum* interdum minuit potius quam auget. Caesar B. G. VI. 35. *praesidii tantum est, ut ne murus quidem cingi possit.* Coelius Cic. Epist. VIII. 8. *bellum tantum erit.* Vid. Manut. ad Cic. Epist. ad Div. I. 7.

41. *Quid si* h. l. et cum indicat. et cum subiunct. construitur. Scilicet indicativus modus est affirmantis, subiunctivus optantis vel metuentis. Vid. Bentleius ad Hor. Epist. I. 16. 8.

Ibid. *Quid si nunc coelum ruat.* Proverbium de iis, qui omnia tuta timent. Vid Erasmi Adag.

42. *Quasi non ea potestas* pro quasi id non sit in potestate tua. Cic. ad Attic. IV. 2. *volui meam potestatem esse vel petendi vel exeundi.* Idem in Vatin. c. 17. *an erit haec optio et potestas tua.* Vid. Gronov. ad Sueton. Aug. c. 13.

## ACT. IV. SC. IV.

1. *Proterve* i. e. temere, inconsiderate. Hec. III. 5. 53. *tu quoque proterve iracundus es*, ubi vid. Donatus. Infra IV. 6. 10. *Quam paene tua me perdidit protervitas.*

2. *Decem minas quas* eadem constructione, qua Andr. prol. v. 3. *populo ut placerent quas fecisset fabulas*, ubi vid. annot

5. *In spe pendebit animi* h. e. sollicitus erit dum sperat me venturam. *Animi pendere* est anxium et dubium esse. Cic. Tusc. Disp. I. 40. *exspectando et desiderando pendemus animi.* Liv. VII. 30. *quid illis nos sollicitis ac pendentibus animi renuntiari iubeatis*, ubi vid. Gronovius. Et *pendere* simpliciter sic dicitur Plin. Epist. VI. 6. Senec. de Benef. VI. 16. ubi vid. Gronovius.

7. *Promittit tibi.* Ut *minari* interdum pro promittere dicitur, sic *promittere* pro minari. Virgil. Aen. II. 96. *Promisi ultorem*, ubi vid. Servius.

8. *Dormiunt* i. e. securi sunt, nihil curant minas meas. Phorm. V. 8. 18. *Dum tu dormis.*

11. *Curriculo percurre* h. e. celeriter, non intermisso cursu curre. Plaut. Epid. I. 1. 12. *curriculo occoepi sequi.* Mil. II. 6. 43. *transcurre curriculo ad nos.*

Ibid. *Agitare* est celebrare. Hec. I. 2. 18. *agitarem inter vos libere convivium.* Ovid. Met. VII. 431. *agitant convivia patres*, ubi vid. Burmannus. Sil. Ital. XV. 423. *Festa coronatis agitabant gaudia signis*, ubi plura Drakenborch.

12. *Asservari* i. e. invitam teneri. Liv. XXIV. 45. *nocte clausum asservabant.* Andr. V. 2. 24. *cura adservandum vinctum.*

17. *Pompa* i. e. comitatus ancillarum, ut Plaut. Curcul. I. 1. 2. Mox. v. 22. pompam vocat *ancillas omnes.*

18. *Ducere* et *traducere* proprie de pompa dicuntur. Ovid. Met. XIII. 699. *cineri materno ducere pompam.* Sueton. Calig. c. 15. *carpentumque quo in pompa traduceretur.*

## ACT. IV. SC. V.

1. *Menedemi vicem miseret me.* De hac constructione vid. Perizon. ad Sanct. Min. II. 3. p. 164.

3. *Familia* i. e. servis et ancillabus. Phaedr. III. 19. 1. *Aesopus domino solus cum esset familia*, ubi vid. Interpretes.

6. *Sumptus domi quotidianos fieri.* Bentleius eleganter legit *sumptus domi cotidiano fieri.* Veteres saepe pro *quotidie* dicebant *quotidiano* intelligentes tempore. Vid. quae diximus ad Rutil. Lup. I. p. 11. Verumtamen servari potest vulgata lectio. Nam saepe bina vel tria epitheta sine copula iunguntur a Terentio. Andr. IV. 5. 35. Vid. Burmann. ad Sueton. Aug. c. 81. et ad Lucan. X. 229.

13. *Bona fide* i. e. serio, vere. Flor. II. 1. *populus Romanus quum bona fide adolevisset*, ubi vid. Dukerus.

Ibid. *Non possum pati* i. e. non possum durare; quod elegans loquendi genus illustravimus ad Eun. I. 1. 7.

14. *Caput demulceam* i. e. manum per alicuius caput tractim ducere, quod blandientes facere solent.

15. *Faciam boni tibi aliquid.* Hac formula utuntur qui quod ab altero factum est, sibi gratum esse ostendunt. Vid. Adelph. V. 5. 6.

34. *Non mea est simulatio.* Legendum est *non meum est simulatio*, ut meliores libri habent; in deterioribus legitur *non mea est simulatio*. Vid. notata ad III. 2. 38.

40. *Aequi bonique facio* i. e. contentus sum iis quae facis. De hac formula vid. Perizon. ad Sanct. Min. II. 3. p. 163.

45. *Eo nunc confugies* i. e. hoc excusationis causa dices, hoc effugium quaeres. Cic. Verr. III. 83. *An quoniam, hoc cum non audes dicere, illuc confugies.*

47. *Verum.* Bentleius edidit *vere.* Sed *verum* aliquando pro *vere* ponitur. Liv. XXXV. 19. *id me verum dicere, pater Hamilcar et Dii testes sunt.*

50. *Omnes te in lauta et bene aucta.* Palmerius legit *omnes te in lauta et bene uncta parte putant*, quae coniectura placet Burmanno ad Petron. c. 43. p. 196. sed non mutanda vox *aucta.* Nam recta et latina sunt *augeri opibus*, *auctus re, fortuna* etc. Flor. IV. 2. 10. *vellet auctiores opes*, ubi vid. Dukerus. Verum vox *parte* merito suspecta est viris eruditis. Bentleius reponit *et bene aucta re putant*, ut Horat. Epist. I. 16. 68. *Semper in augenda festinat et obruitur re.*

## ACT. IV. SC. VI.

2. *Vel haec deambulatio.* Particula *vel* eleganter significat *ut alia omittam*, *ut de aliis taceam.* Hec. I. 1. 3. *Vel hic Pamphilus iurabat quotiens Bacchidi.* Vid Broukhus. ad Tibull. I. 9. 53.

3. *Ad languorem dedit* i. e. languidum fecit. Plaut. Asin. III. 2. 28. *ubi saepe ad languorem tua duritia dederis octo validos lictores.* Similia sunt apud Plautum *dare in timorem*, *in divitias* etc. Vid. Schulting. ad Senec. Controvers. II. p. 204.

6. *Quantum est* i. e. quotquot sunt. Catull. III. 2. *quantum est hominum venustiorum.* Phorm. V. 7. 10. *Quanta haec mea paupertas est.* Sic *quicquid* dicitur pro *quicunque.* Ho-

rat. Epod. V. 1. *O Deorum quidquid in coelo regit.* Liv. III. 25. *quidquid Deorum est.* Vid. Drakenb. ad Liv. XXXII. 37. 5.

9. *Ubi* i. e. quibus rebus.

20. *Experibere* antique pro *experiere* ut scen. seq. v. 5. *opperibere* pro *opperiere.*

23. *Obsecundare* est dicere et facere omnia ad voluntatem. Plaut. Truc. IV. 2. 3. *Nunc dum isti lubet, dum habet: tempus ei rei secundes.* Vid. Burmann. ad Ovid. Art. Am. I. 584.

## ACT. IV. SC. VII.

3. *Lapis* convicium est in hominem stolidum ut infra V. 1. 4.

8. *Duco* i. e. puto, existimo. Drakenb. ad Liv. IX. 22. 3.

9. *Hasce ornamentis consequentur alterae* i. e. mox aliae decem minae Bacchidi pro ornamentis solvendae sunt. Sic locum egregie explicuit Bentleius. *Ornamentorum* nomine comprehendi potest omnis supellex muliebris. Vid. Brisson. de Verbor. Significat. s. v.

10. *Porro haec talenta dotis.* Nullus in vulgata lectione sensus est, ut eo facilius admittenda videatur Bentleii emendatio: *porro haec talenta dotis adposcet duo; haec* scil. filia mea iam reperta. Genitivus *dotis* pendet non a *talenta* sed ab omissa voce *causa* vel *nomine.* Plaut. Pers. III. 1. 66. *dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi.* Nep. Alcib. c. 9. *ex quo L talenta vectigalis capiebat.* Vid. Perizon. ad Sanct. Min. II. 3. p. 166. Duker. ad Liv. III. 56. 4. et Virum Doctum in Obss. Miscell. Nov. T. II. p. 44.

11. *Quam multa* etc. Meliorem huius loci lectionem conservavit Eugraphius et ex eo restituerunt viri doctissimi: *quam multa iusta iniusta fiunt moribus* i. e. quam multa sive iusta sive iniusta fiunt moribus et in communi vita dominantur. Adelph. V. 9. 33. *Quia non iusta iniusta prorsus omnia omnino obsequor.*

## ACT. IV. SC. VIII.

3. *Resipisse* antique pro *resipuisse*. Sic *sapisset* pro *sapuisset* apud Plaut. Rud. IV. 1. 8. *Pol magis sapisset, si dormivisset domi.* De verbis, quae duplicem coniugationem habent vid. Vossius de Analog. III. 32. p. 314. *Resipiscere* est ad meliorem mentem redire.

4. *Quod in te est* pro quantum in te est. *Qui* pro *quantus* non semel supra vidimus.

7. *Quid tu hominis es.* Recte monet Donatus magis iniuriose dici *quid hominis es* quam *quis homo es.* Hec. IV. 4. 21. *sed quid mulieris uxorem habes?* Vid. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 4. p. 616.

26. *Te ut poscat* scil. argentum. *Poscere* cum duplici accusativo construitur. Liv. I. 24. *sagmina te, Rex, posco*, ubi vid. Drakenborch.

28. *Istius obsaturabere* i. e. istius ad fastidium usque satur eris. Plaut. Stich I. 1. 18. *hae res vitae me saturant.* *Saturare* his locis cum genitivo construitur ut adiectivum *satur*.

32. *Te scientem faciam* i. e. faciam ut scias. Andr. III. 2. 28. *renuntio futurum, ut sis sciens.*

## ACT. V. SC. I.

1. *Non tam astutum* i. e. non valde, non magnopere astutum. Adelph. II. 4. 14. *ne tam quidem.*

2. *Praemonstrator* i. e. praeceptor. Plaut. Pers. I. 3. 68. *praemonstra docte.*

4. *Quae sunt dicta in stultum.* Bentleius e binis codd. legit *quae sunt dictae*, quia *res* praecessit. Verum vulgata lectio non mutanda; nam femininum *res* saepe post se habet diversum genus. Eun. V. 4. 48. *Narra rem omnem, ut factum sit.* Vid. Duker. ad Liv. I. 3. 2.

6. *Gratulari* est proprie gratias agere, et gratulationes sunt gratiarum actiones. Vid. Graevius ad Cic. ad Div. XI. 18.

14. *Vultus quoque hominum fingit scelus* i. e. scelestus ille efficit, ut Clinia vultum suum componat, simulando quem-

libet habitum, ut laetum vel tristem se simulare posset, ut res postulat. Ita hunc locum explicat Io. Rivius. Caes. B. G. I. 39. *hi neque vultum fingere, neque interdum lacrimas tenere poterant.*

19. *Iniecisse verba* i. e. dixisse, mentionem fecisse. *Iniicere* simpliciter sic est apud Cic. ad Attic. XVI. 5. *Bruto cum saepe iniecissem de ὁμοπλοίᾳ.* Idem pro Quint. c. 21. *quod Hortensium, quia nuper iniecit* i. e. cuius obiter mentionem fecit.

25. *Finxit filium* i. e. formavit. Metaphora ducta est ab iis, qui lentam et sequacem materiam formant. Horat. A. P. v. 366. *voce paterna Fingeris ad rectum.* Statius Silv. V. 3. 191. *Non tibi certasset iuvenilia fingere corda Nestor.* Vid. Casaubon. ad Pers. Sat. III. pag. 244. et Drakenborch. ad Sil. Ital. I. 441.

26. *Subolet mihi* significat sentio, suspicor. Plaut. Pseud. I. 5. 7. *atque id iam pridem sensi et subolet mihi.* Eadem metaphora Adelph. III. 3. 43. est *olfacere* pro sentire.

29. *In ultimis aedibus* i. e. in ultima parte aedium.

33. *Operuere ostium* i. e. clauserunt. Phorm. V. 3. 33. *amne operuit ostium.* Contrarium est *ostium aperire.* Gronovius ad Tacit. Annal. XII. 6.

34. *Una* et *simul* per pleonasmum iunguntur, ut apud Plaut. Mostell. IV. 3. 43. *i mecum una simul.*

36. *Familia* interdum ponitur pro re familiari vel patrimonio. Sic in Leg. XII. Tab. scriptum est *pater familias uti super familia pecuniave sua legaverit, ita ius esto.* Vid. Auct. ad Herenn. I. 13. Sic apud ICtos *herciscere familiam* i. e. bona hereditaria dividere. Vid. Ulpian. Leg. 195. §. 1. Pand. de Verb. Signif. et Ernestium Clav. Cic. v. *familia.* Ratio inde est, quod olim magna pars opum servis, quos *familiam* dicebant, constabat.

39. *Communis* est modestus, nihil praecipuum sibi tribuens prae aliis. *Civilem* dicunt Suetonius et alii illius aetatis scriptores. Nep. Att. c. 3. *sic se gerebat ut communis infimis, par principibus videretur.* Lactant. V. 22. Vid. Iuretus ad

Symmach. II. 79. et Graevius ad Cic. Epist. ad Div. IV. 9. Sed hic ratio versus exigit *animo comi*, non *communi*, quae voces centies inter se commutantur. Vid. Graev. ad Cic. de Off. III. 5. et Drakenborch. ad Liv. XXV. 12. 9.

42. *Derides.* Etiam Petron. c. 58. absolute dicit *deridere, aut ego non me novi, aut non deridebis*, ubi vid. Interpretes.

43. *Quot res dedere* scil. se, i. e. quot res evenerunt. Hec. III. 3. 20. *omnibus nobis ut res dant sese.* Liv. XXVIII. 5. *prout tempus ac res se daret*, ubi vid. Interpretes.

46. *Non te cohibes* i. e. non contines, non comprimis iram tuam. Sic de dolore Sulpicius ad Cic. IV. 5. *visne tu te cohibere et meminisse hominem te esse natum.*

50. *Foris sapere* i. e. sibi non cavere, et aliis consilium dare, ut Phaedrus loquitur I. 9. 1.

54. *Copiam* i. e. rationem inveniendae pecuniae.

55. *Multo malo* pro multo magis volo. Hec. I. 2. 35. *quasi tu non multo malis narrare hoc mihi.* Cic. ad Attic. XV. 18. *domi manere, si recte possum, multo malo.* Sic *malo potius* Adelph. II. 2. 14. Vid. Bentleius ad h. l.

57. *Suppeditare sumptibus.* Dativus *sumptibus* eodem modo capiendus, quo *relinquere arraboni* supra III. 3. 42. Vid. Perizon. ad Sanct. Min. III. 3. p. 383.

58. *Mihi vere ad rastros res redit* h. e. mihi necessario prae egestate, non ut tibi voluntario prae animi aegritudine, rastri sunt sumendi, ut manibus victum quaeram. Respicit ad I. 1. 36. De vi vocis *vere* vid. Burmann. ad Valer. Flacc IV. 633.

62. *Quid hoc quod volo.* Male nonnulli expungunt vocem *hoc*. Nam elegantem idiotismum esse docet Gronovius ad Plaut. Bacch. II. 3. 15. ubi similiter est *quid hoc? qua causa eum hinc in Ephesum miseram.*

64. *Dicere dotem* proprie dicitur pro dotem promittere, constituere. Ovid. Fast. VI. 594. *dictas exige dotis opes*, ubi plura Heinsius.

72. *Luxuria diffluit* h. e. luxuriae nimis et immodice indulget. Cic. de Off. I. 30. *quam sit turpe diffluere luxuria.*

Columell. XII. 1. *cum pleraeque sic luxu et inertia diffluant.* Vid. Duker. ad Flor. IV. 12. p. 829.

73. *Retundam* i. e. reprimam, ne diffluat luxuria.

Ibid. *Ut quo se vertat nesciat.* Formula eorum qui consilii inopes sunt. Hec. IV. 1. 1. *perii quid agam? quo me vertam?*

76. *Confutare* proprie est aquam ebullientem reprimere, ne exundet. Vid. Scalig. ad Festum v. *refutare.* Metaphorice reprimere, coercere, castigare. Phorm. III. 1. 13. *confutavit verbis admodum iratum senem.* Qui hodie latine scribunt, hoc verbo tantum utuntur de scholasticis disputationibus, sed Veteres multo amplius. Cato apud Gell. VII. 3. *quod nostras secundas res confutet.* Cic. de Provinc. Consul. c. 13. *semper illas nationes nostri imperatores refutandas potius quam lacessendas putaverunt.* Idem ad Div. I. 9. *refutare alicuius cupiditatem.* Vid. Gronov. Obss. I. 22.

77. *Exornare aliquem* per antiphrasin ponitur pro foedare verberibus, virgis in aliquem animadvertere. Eodem sensu Adelph. II. 1. 22. *ornatus esses ex tuis virtutibus.*

78. *Depexum.* Bentleius reponit simplex *pexum*, cuius rationes videte. *Pectere* Comici dicunt pro flagris caedere. Plaut. Men. V. 7. 28. *pecte pugnis.*

79. *Pro ridiculo.* Pro *ridiculo* nonnulli libri habent *deridiculo.* *Deridiculum* est valde ridiculum. Nam praepositio *de* ut in aliis compositis significationem intendit. Liv. XXXIX. 26. *alterum deridiculum esse*, ubi vid. Dukerus.

## ACT. V. SC. II.

2. *Est ut eiecerit* per periphrasin Comicis usitatam dicitur pro *eiecit.* Sic Hec. IV. 1. 44. *sin est ut nolit.*

4. *Vulgo faciunt* i. e. alii quoque adolescentes meretriciis amoribus irretiuntur, quod ille causae suae prodesse putat. Nam multi, ut Cicero ait ad Div. IV. 3., quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant.

5. *Verum ego haud minus aegre patior, id qui nescio.* Hic locus ita distinguendus: *Verum ego haud minus aegre patior:*

*id qui*, *nescio nec rationem capio.* *Id qui* significat cur, quamobrem faciat. Vid. Bentleius ad h. l.

7. *Incusas.* Servius ad Virg. Aen. I. 410. notat *incusare* proprie esse superiorem arguere, *accusare* vel parem vel inferiorem. Sed hoc discrimen nihili est. Vid. Drakenborch. ad Liv. IX. 11. 5.

9. *Animo omisso* h. e. negligenti, dissoluto. Auctor ad Herenn. IV. 37. *animis estis simplicibus et mansuetis*, ubi Cl. Ernestus praefert lectionem codicis, qui addit *et omissis.* Sic Adelph. V. 3. 45. *ne ab re sint tamen omissiores.* Sueton. Tiber. c. 52. *Drusus animi fluxioris erat.*

10. *Prima habere* i. e. praecipue curare. Adelph. V. 4. 4. *Quae tibi putaris prima in experiundo ut repudias.*

Ibid. *Consulere in longitudinem* i. e. consulto agere quae prosunt in longum tempus. *Consulere* exquisite dicitur pro rem bene gerere, consulto agere. Cato apud Gell. VII. 3. *mihi magnae curae est, quod haec res tam secunda processerit ne quid in consulendo adversi eveniat.* Liv. 21. 16. *ut trepidarent magis quam consulerent*, ubi vid. Gronovius.

17. *Turbas concivi* i. e. concitavi. Liv. II. 29. *non miseriis sed licentia tantum concitum turbarum*, ubi vid. Drakenborch.

20. *Pravitas* i. e. perversa agendi ratio.

22. *Nec tu aram tibi nec precatorem* i. e. non opus est, ut in aram confugias, aut mittas qui pro te deprecetur. Olim servi supplicium metuentes in aram confugiebant, aut precatorem, qui iratum dominum mitigaret, sibi parabant. Plaut. Mostell. V. 1. 45. *ego interim hanc aram occupabo.* Quoniam vero etiam alii supplices ad aras tanquam asyla confugere solebant, *ara* pro profugio dici coepit. Cic. N. D. III. 10. *tanquam in aram confugitis ad Deum.* Ovid. Epist. I. 110. *tu citius venias, portus et ara tuis*, ubi vid. Heinsius. Add. Lindenbrog. ad h. l. *Precator* idem est qui *deprecator.* Phorm. I. 2. 90. *ad precatorem adeam credo.* Plaut. Pseud. II. 2. 11. *ego precator et patronus.* Vid. Interpretes ad Petron. c. 131. p. 625.

26. *Alienare* et *abalienare* significat alienos reddere et e familia eiicere. Vid. Interpretes ad Liv. XLI. 8. 12. Sic infra V. 4. 6. *alienus*, qui non pertinet ad familiam.

27. *Periculum fame.* *Fame* est genitivus obsoletus pro famis. Vid. Gell. IX. 14. et Bentleius ad h. l.

30. *Ibi nunc sum* i. e. in eo sum, id ago; quam formulam supra explicuimus.

31. *Non aberit longius* scil. consilium, quod quaero.

32. *Qui istuc* i. e. quomodo hoc arbitraris. Vid. Bentleius ad h. l.

35. *Te indulgebant* antique pro *tibi*, ut Eun. II. 1. 16. ubi vid. Donatus.

36. *Filia vera* i. e. non supposita. *Veram filiam* opponit Clitiphoni, quem aliunde adsumtum putabat. Sic si locus capitur, non opus esse videtur emendatione Bentleii. Ita Sueton. Calig. c. 19. *in verum nepotem proniori.*

39. *Paterna iniuria* i. e. quam patres inferunt filiis, non quae patribus infertur a filiis. Eodem sensu est *iniuria parentum* supra I. 2. 30. *Iniuria* est severitas.

44. *Quam minima tam facillime.* Cum praecedit *quam* cum superlativo, interdum sequitur *tam* cum superlat. Adelph. III. 4. 56. *Quam estis maxime potentes, tam maxime nos aequo animo aequa noscere oportet.* Sallust. Iug. c. 31. *quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est,* ubi vid. Cortium.

Ibid. *In spe situs* i. e. spem habens. Notanda haec locutio ut rarissima.

45. *Patris pacem in leges suas* i. e. patrem sibi reconciliabit conditionibus, quibus ille volet. Plaut. Asin. I. 3. 81. *quod poscis dem; sed in leges meas dabo.* Liv. XXXIII. 30. *pax data Philippo in has leges est.*

## ACT. V. SC. III.

4. *Pergin mulier esse* i. e. pergisne importuna, molesta, rixosa esse? Nam *mulier* hic magna cum vi dicitur. Petron. c. 42. *sed mulier, quae mulier, milvinum genus.* Rutil. Lup.

I. p. 43. *quid potius dicam aut verius quam mulierem*, et quae ibi diximus.

7. *Restas* i. e. resistis, adversaris. Ovid. Fast. II. 749. *victa cades: melioribus restas.* Propert. III. 6. 31. *Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector.* Sallust. in Fragm. p. 955. *urbem multos dies restantem pugnando vicit.* Vid. Gronovius ad Liv. IV. 58. 4. et XXVI. 3. 3.

8. *Immo scis potius* i. e. immo potius concedam te scire.

12. *Subdere* proprie est falsum in veri locum supponere, quod etiam *subiicere* et *supponere* dicunt. Liv. XL. 9. *isti unum Demetrium filium te habere, me subditum et pellice genitum adpellant.* Tacit. Annal. XIV. 40. *subdidit testamentum.* Suéton. Ner. c. 7. *ut subditum apud patrem arguere conatus est*, ubi vid. Oudendorpius. Vulgo cives subiectos barbare vocant *subditos.*

Ibid. *Sic erit* pro *sic est*, futur. pro praesenti. Phorm. V. 3. 18. *sic erit.*

13. *Istuc inimicis siet.* De hac abominandi formula, vid. Broukhus. ad Propert. III. 6. 20. et notat. ad Eun. IV. 4. 13.

21. *Rem cum videas censeas* i. e. cum hominem intus cognoveris, censeas severum esse. Est sarcasmus, quem recte cepit Bentleius.

## ACT. V. SC. IV.

1. *Si ullum unquam fuit tempus, cum ego voluptati tibi fuerim.* Hoc elegantissima circumscriptione dicitur pro: si unquam tibi voluptati fui. Vid. Cic. de Orat. I. 1.

6. *Alienus* est qui non pertinet ad familiam. Hinc *propinqui* et *alieni* opponuntur a Cic. de Amicit. c. 5. et pater, qui filium alteri mancipio dat, eum dicitur *alienare*. Vid. Interpretes ad Liv. XLI. 8. 12.

7. *Ita mihi atque huic sis superstes* i. e. quam sancte opto et voveo, ut mihi et patri tuo superstes sis, tam sancte tibi affirmo. Solenne piorum parentum votum est, ut liberos sibi superstites relinquant. Ovid. Epist. I. 101. *Di precor hoc*

*iubeant, ut euntibus ordine fatis, Ille meos oculos comprimat, ille tuos.* Vid. Brisson. de Form. VIII. p. 684.

10. *Gerro* est homo levis et ineptus. Vid. Festus h. v.

11. *Ganeo* i. e. qui ganea frequentat. *Ganea* vel *ganeum* est locus vino, epulis, aleae, libidini destinatus. Vid. Vossius in Etymol.

Ibid. *Damnosus* est, qui facultatibus suis damnum affert, prodigus, profusus. Sueton. Ner. c. 31. *non in alia re damnosior, quam in aedificando,* ubi vid. Graevius. Sic *damna* dicuntur pro impensis, sumptibus. Quinctil. Decl. CCCLXXVII. p. 773. *oneratus damnis.* Vid. Menag. in Amoenit. Iuris c. 39.

13. *Ea causa* suppl. *tamen.* Nam *si*, quod praecedit, ponitur pro *etsi.* Saepe *tamen* deest post *etsi* et *quanquam.* Adelph. II. 1. 5. *Quamquam est scelestus, non committet hodie unquam, iterum ut vapulet.* Hec. IV. 4. 26. *Etiam si dudum fuerat ambiguum hoc mihi, nunc non est.* Vid. quae annotavimus ad Aquil. Roman. iunctum Rutil. Lupo p. 190.

15. *Dii istaec* scil. prohibeant. Formula abominandi.

Ibid. *Deos nescio* scil. an prohibituri sint. Sic supra II. 4. 16. *nescio alias* h. e. quid aliae fecerint nescio.

20. *Displicere sibi* dicuntur, qui dolore afficiuntur, quos poenitet facti. Cic. ad Attic. II. 18. *displiceo mihi nec sine summo dolore scribo.* Ibid. 21. *ut ipse etiam sibi, non iis solum, qui aderant, displicebat.* Pro eo Terentius Hec. IV. 1. 28. dicit *se ipsum odisse.*

21. *Principium incipiam.* Insolens locutio. Bentleius e vestigiis veterum librorum legit *neque quod principium capiam,* ut *captare tempus, occasionem* et alia.

## ACT. V. SC. V.

2. *Pacem* i. e. concordiam inter patrem et filium. Vid. supra V. 2. 45.

8. *Ne obfirma* h. e. ne obstinate et pertinaciter in proposito persiste. Vid. notat. ad Eun. II. 1. 11.

9. *Pertendere* h. e. eo usque tendere, dum perficiam.

12. *Nil audio* i. e. nullam excusationem accipio.

Ibid. *Ad me recipio* i. e. promitto, spondeo, scil. ipsum uxorem ducturum. Plaut. Mil. II. 2. 74. *tute unus si recipere hoc ad te dicis, confidentia est.* Eodem sensu *recipio in me* dicit Cic. ad Div. XIII. 17. Absolute *recipere* est Phorm. V. 7. 9.

13. *An dubitas* i. e. an recusas, an tergiversaris. Cic. ad Div. XIII. 9. *non dubitavi ad te scribere.*

16. *Lepidam* i. e. venustam. *Lepor* et *lepidus* habent quidem domicilium in verbis, sed transferuntur ad alia quae delectationem afferant. Vid. Manutius ad Cic. ad Div. VII. 1.

18. *Caesiam* i. e. quae habet oculos glaucos vel caeruleos. Saepe Minervae caesii oculi tribuuntur. Vid. Heinsius ad Ovid. Art. Amat. II. 659. Sed non omnes hunc oculorum colorem probasse patet etiam ex Hec. III. 4. 26.

Ibid. *Sparsum os* dicitur vultus rufis maculis distinctus, lentiginosus. *Spargere* est distinguere. Virgil. Ecl. II. 41. *sparsis etiam nunc pellibus albo,* ubi vid. Burmann. Sparsum os *lentiginosum* vocat Valer. Maxim. I. 7. 6. ubi vid. Interpretes, imprimis Bentleius ad Hec. III. 4. 27.

Ibid. *Aduncus nasus* in virginis vitio ponitur. Modice autem aduncum in pulcherrima Aspasia laudat Aelianus Var. Hist. XI. 1. In viris nasus aduncus magni animi index habebatur.

19. *Elegans* i. e. fastidiosus in eligendo. Vid. notat. ad Eun. III. 1. 18.

Ibid. *Animum ibi esse* i. e. cogitare de eligenda uxore.

# IN ADELPHORUM

## PROLOGUM.

2. *Iniquis* i. e. inimicis. Heaut. prol. v. 27. *ne plus iniquum possit quam aequum oratio.* Cic. pro Planc. c. 23. *Se inique a tuis iactatum graviter querebatur.* Ovid. Trist. I. 2. 6. *Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.*

3. *Rapere in peiorem partem* h. e. secus interpretari, reprehendere. Pollio Ciceroni ad Div. X. 33. *pium meum consilium raperent in contrariam partem,* ubi vid. Manutius.

9. *In prima fabula* i. e. in prima parte fabulae, ut apud Plaut. Cistell. V. 1. v. ult. *postrema in comoedia* pro postrema parte comoediae. Sic *prima provincia* est prima pars provinciae. Cic. ad Div. III. 6.; contra *ultima provincia* est pars eius extrema. Cic. ad Attic. V. 16. *in ultimam provinciam se coniecit Tarsum usque.* Heaut. V. 1. 29. *ultimae aedes* pro postrema parte aedium. Eodem modo *primus tumultus* pro initio tumultus, *extremus annus* pro fine anni. Vid. Gronov. Lect. Plaut. p. 138. Schulting. ad Senec. Suasor. III. p. 31. Drakenb. ad Liv. II. 33. 7.

11. *Verbum de verbo.* Veteres dicunt *verbum de* vel *e verbo* vel *ad verbum exprimere* pro verbum verbo exprimere. Vid. Cic. de Fin. III. 4. Tuscul. Disp. III. 19. Horat. A. P. v. 133. Barbari hodie dicunt *de verbo ad verbum exprimere* vel *vertere*, quibus tamen praeivit Servius ad Virg. Aen. VIII. 19.

14. *Reprehendere locum* est de integro tractare. *Reprehendere* proprie est retrahere. Phaedr. V. 8. 3. *Elapsum semel Non ipse possit Iuppiter reprehendere*, ubi vid. Interpretes.

Ibid. *Negligentia* i. e. voluntaria praetermissione. Vid. notata ad Andr. prol. v. 20.

20. *In otio* i. e. in pace. Cic. ad Div. II. 17. *Si ante auditum erit otium esse in Syria*, ubi vid. Manutius.

21. *Suum tempus* eleganter dicitur, quod alicui commodum est. Cic. Verr. III. 60. *dicit se suo tempore esse rediturum.* Valer. Flacc. I. 543. *poscunt iam me sua tempora Graii*, ubi vid. Burmannus. Opponitur *tempus alienum*. Liv. XLII. 43. *suo maxime tempore atque alieno hostibus.* *Tempus* est status rerum, ut saepe.

Ibid. *Sine superbia.* Hoc referendum ad homines nobiles, qui inferiorum causas sine fastu agebant.

## ACT. I. SC. I.

2. *Adversum ire* non solum est obviam ire, sed etiam ire aliquem quaesitum constituto tempore et loco. Imprimis de servis dicitur, qui veniunt, ut dominos domum ducant. Vid. Gronov. Lect. Plaut. p. 212. Eiusmodi servi proprio nomine *adversitores* vocabantur. Vid. Donat. ad h. l. et Gesner. Thes. L. L. s. v.

5. *In animo cogitat.* *Cum animo suo cogitare* dixit Cic. de Leg. Agrar. II. 24.; *secum cogitare* Terentius Eun. I. 1. 19. Vid. Drakenborchius ad Liv. XLII, 50. 8.

6. *Parentes propitii* i. e. amantes liberorum. *Propitius* fere semper de Diis dicitur, rarius de hominibus. Cic. ad Attic. VIII. 16. *hunc propitium sperant, illum iratum putant.*

8. *Animo obsequi* vel *animo morem gerere* est facere, quae animo lubent. Hec. III. 5. 9. *voluptati obsequens fuit, dum vixit.* Lambin. ad Hor. Carm. IV. 7. 20.

13. *In animo instituere* i. e. animo concipere, in animum inducere, animo constituere. Simili locutione Plaut. Mostell. I. 2. 2. *argumenta in pectus multa institui.*

14. *Parare* i. e. aliquid sibi proponere, constituere. Plaut. Asin. I. 3. 16. *haud multo post aliquid quod poscas paras.* Vid. Scaliger ad Catull. X. 20.

17. *Clementem vitam* i. e. quietam, tranquillam, quae opponitur rusticae, quippe duriori.

Ibid. *Otium sequi* dicuntur, qui vitam facilem nec negotiosam eligunt. Nepos Pelop. c. 2. *Athenas se contulerant, non quo sequerentur otium, sed ut quemque ex proximo locum sors obtulisset, eo patriam recuperare niterentur.* Vid. Interpretes ad Phaedr. V. 1. 7.

20. *Parce ac duriter se habere* i. e. se tractare, curare. Plaut. Asin. I. 1. 63. *illum mater arcte contenteque habet.*

26. *Do* scil. pecuniam in sumptus, *praetermitto* scil. peccata.

Ibid. *Habeo* i. e. existimo, statuo. Sallust. Iug. c. 114. *Romani sic habuere*, ubi vid. Cortium.

27. *Pro meo iure agere* i. e. mea auctoritate. *Suo iure aliquid agere* dicitur qui quid quasi ex iure et consuetudine libere agit nemine impediente. Petron. c. 78. *tumultuari suo iure coeperunt*, ubi vid. Burmannus. Gronov. ad Senec. de Tranquill. Animi c. 3.

32. *Liberalitate* i. e. lenitate, clementia. Cic. pro Ligar. c. 3. *vide quanta lux liberalitatis et sapientiae mihi apud te dicenti oboriatur.* ad Quint. fratr. I. 1. *a quibus, rudis cum esses, videtur decipi posse liberalitas tua.* Vid. Ernesti Clav. Cic. in h. v.

33. *Retinere* et *continere* sunt disciplinae et coercitionis verba. Cic. de Off. II. 12. *aequitate constituenda summos cum infimis pari iure retinebat*, ubi vid. Graevius. Gell. XIX. 1. *satis attente discipulos iuvenes continentem.* Vid. Drakenborch. ad Liv. XXXIX. 28. 2.

Ibid. *Metu* servi potius regebantur quam liberi homines.

38. *Vestitu nimium indulges* h. e. nimios sumptus praebes ad vestitum splendidum emendum. *Vestitu* est dativus antiquus pro vestitui. Vid. Vossius de Analog. II. 18. p. 243. et Broukhus. ad Propert. I. 11. 12. ubi *manu* pro manui; quanquam Dukerus ad Liv. IX. 5. 6. putat facile hic suppleri posse pronomen tertii casus.

39. *Praeter aequumque et bonum.* Haec formula a ICtis sumta videtur, qua aequum et bonum summo sive stricto iuri opponuntur. Vid. Duker. ad Flor. I. 22. p. 196.

41. *Imperium gravius* i. e. maioris auctoritatis. Plaut. Trin. II. 2. 117. *Gravius erit tuum unum verbum ad eam rem quam centum mea.* Cic. pro Fonteio c. 16. *ex ipsa Gallia fidelissima et gravissima auxilia sumuntur.*

43. *Mea est sic ratio* h. e. hic meus mos est, mea sententia. Infra III. 3. 20. *vestram nequeo satis mirari rationem.* Cic. ad Div. III. 8. *Mea ratio in tota amicitia nostra constans et gravis reperietur.*

46. *Ad ingenium redit* h. e. ad indolem, naturam ingenitam. Hec. I. 2. 38. *ad ingenium redis*, Cic. in Caecil. c. 17. *redit ad se atque ad mores suos.*

53. *De quo agebam* recte Donatus explicat, de quo sermo est: nam *agere* saepe dicitur pro loqui. Hec. III. 5. 5. *Ipsus est de quo hoc agebam tecum.* Vid. Burmann. ad Quinctil. Decl. VIII. p. 183.

## ACT. I. SC. II.

2. *Ubi nobis Aeschinus siet* h. e. cum Aeschinus nobis sit filius tam dissolutus. *Ubi* est cum, quoniam, quandoquidem, ut recte exponit Eugraphius. Vid. Vorstius ad Iustin. X. 1.

5. *Neque legem putat tenere se ullam.* Frustra Donatus ad h. l. et Burmann. ad Quinctil. Decl. CCLXX p. 514. hic ambiguitatem quaerunt. Patet enim hoc dici pro; neque putat se ulla lege teneri. Cic. Philipp. XI. 5. *quanquam leges eum non tenent.* Liv. IX. 33. *etsi tenuerit lex Aemilia eos censores, quorum in magistratu lata esset, non tamen aut se aut eorum quemquam, qui post eam legem creati censores essent, teneri ea lege potuisse.*

7. *Designare* est aliquid facere, quod vel in bonam vel in malam partem novum et insigne sit. Vid. Donatus ad h. l.

22. *Non est.* Efficax et elegans negationis repetitio. Cic. pro Sull. c. 27. *non cadit, non inquam in hos mores cadit.* Phorm. II. 1. 73. *non, non sic futurum est.* Vid. Gronovius ad Liv. XXX. 14. 6.

26. *Si esset* pro *si fuisset*, imperf. subiunct. pro plusquamperf. Vid. Duker. ad Flor. III. 3. p. 450. Sic mox *facere*-*mus* pro fecissemus.

27. *Si esses homo* i. e. si humanum sensum haberes, si prudens esses. Infra IV. 2. 40. *censen hominem me esse.* Vid. quae diximus ad Rutil. Lup. II. p. 114.

29. *Ubi te exspectatum eiecisset foras* i. e. cum te hominem odiosum, cuius mortem diu exoptavit; raptim et festinanter sepelivisset. *Exspectare mortem alicuius* exquisite dicitur pro mortem cupide optare, desiderare. Infra V. 4. 20. *illum ut vivat optant. meam autem mortem exspectant scilicet.* Eam verbi vim copiose explicuimus ad Rutil. Lup. I. p. 20.

36. *Mihi peccat* i. e. omnis infamia et damnum ad me redit. Petron. c. 45. *sibi quisque peccat.*

Ibid. *Ego illi maximam partem feram* h. e. si quid illic est damni, ego maxime feram. *Illi* antique dicitur pro illic vel ea in re. Vid. Victorius ad Cic. ad Attic. IX. 14.

37. *De meo* scil. patrimonio. Sic etiam dicitur *de tuo, de suo, de alieno.* Plin. Epist. IV. 13. *qui de alieno negligentes certe de suo diligentes erant.* Vid. Drakenborch. ad Liv. IV. 60. 4.

45. *Pater esse disce ab aliis qui vere sciunt* h. e. disce quid sit patris officium ab iis, qui vere intelligunt officium patris. Bentleius corrigit: *pater esse disce ab illis, qui veri sient.*

47. *Abiero* pro *abibo*, futur. subiunct. pro fut. indicat.

54. *Profundat* i. e. inaniter et frustra consumat. Ut hic *profundere* et *perdere*, sic saepe *profusus* et *perditus* iunguntur, ut apud Cic. pro Quint. c. 12. Vid. not. ad Heaut. III. 1. 56.

61. *Nec nihil neque omnia haec sunt* i. e. non omnino falsum est, nec tamen omnia ita sunt.

65. *Vix humane patitur* i. e. vix moderato animo, uti hominem decet, fert. Cic. Tuscul. Disp. II. 27. *morbos toleranter atque humane ferunt.*

72. *Fervere*, *fervor*, *fervidus* proprie dicuntur de adolescentia, quae animi motibus maxime agitatur. Horat. Carm.

I. 16, 22. *me quoque pectoris tentavit in dulci iuventa Fervor.* Cupiditates autem adolescentiae cum comminuuntur et exstinguuntur, *defervescere* dicuntur. Cic. pro Coel. c. 18. *quorum quum adolescentiae cupiditates defervissent.* Duker. ad Flor. I. 26. p. 207.

## ACT. II. SC. I.

3. *Respectare* proprie dicuntur, qui crebro respiciunt prae metu, ne a superveniente opprimantur. Plaut Men. I. 2. 51. *Ne te uxor sequatur, respectas identidem.* Vid. Schwarz. ad Plin. Panegyr. c. 23.

5. *Non committet.* Verbo *committere* saepe Cicero utitur in rebus, quae vel reprehensione vel poena aliqua dignae sunt. Cic. de Offic. III. 2. *neve committas, ut tute tibi defuisse videare.* ad Att. I. 6. *non committam posthac, ut me accusare de epistolarum negligentia possis.*

9. *Huius non faciam.* Intelligendum est, eum vel stipulam vel floccum vel summum digitum ostendisse. Vid. Casaubon. ad Athen. XII. 7. p. 841. et Bentleius ad II. 2. 15.

11. *Nollem factum.* Solennis satisfaciendi formula. Liv. XXIX. 19. *quas iniurias sibi factas quererentur, eas neque senatum, neque P. R. factas velle.* Vid. Torrent. ad Sueton. Caes. c. 73.

13. *Abi praestrenue.* Distinctim legendum *abi prae strenue,* ut in Andr. I. 1. 144. *i prae, sequar.*

16. *Oculos demovere* dicendum est, non *dimovere.* Nam *demovere* est deiicere, amovere, avertere, *dimovere* est rem ita movere, ut in diversas partes abeat.

18. *Serva* i. e. habe tibi hunc colaphum.

21. *Regnumne tu hic possides* i. e. an tu Athenis, ubi aequa libertas est, tyrannidem exerces? *Regnum* saepe est tyrannis vel nimia in aliquo genere potentia. Cic. pro Sull. c. 7. *Hic ait se regnum meum ferre non posse.* Vid. Lucian. Tim. p. 169. et ibi Cl. Hemsterhusius.

22. *Ornatus esses ex tuis virtutibus* h. e. acceptus esses ut convenit virtutibus tuis i. e. pessime. In bonam partem h. e

locutio est apud Plaut. Captiv. V. 3. 20. *Sed eccum incedit huc ornatus haud ex suis virtutibus.* Cic. ad Div. V. 8. *quantum tuo iudicio tribuendum esse nobis putes, statues ipse ex nostra dignitate* i. e. prout convenit nostrae dignitati.

26. *Erit melius.* Venusta formula est et consilium dantis et simul minantis. Plaut. Men. V. 2. 51. *melius sanam est, mulier, mentem sumere.* Horat. Serm. II. 1. 45. *melius non tangere clamo.* Liv. III. 41. *Non erit melius, inquit, nisi de quo consulimus, vocem misisse*, ubi vid. Gronovius.

Ibid. *Convicium* proprie est quasi *convocium*, cum multae voces eduntur, clamor, vociferatio. Cic. apud Aquil. Roman. iunct. Rutilio Lupo p. 144. *ut clamor, ut convicium mulierum, ut symphoniae cantus.* Idem pro Arch. c. 6. *aures convicio defessae.*

28. *Loris* i. e. flagellis, quae e loris fiebant. Haec servilis poena erat, unde *flagrio, flagitribà, verbero* est servus nequam, qui quotidie flagellatur.

35. *A me nulla orta est iniuria* i. e. non fui auctor iniuriae. Infra III. 3. 89. *Haut cito mali quid ortum ex hoc sit publice.*

40. *Liberali assero causa* i. e. ego illam in libertatem vindicabo. Qui liberum hominem e servitute vindicabat, eum coram praetore manu prehensum sibi quasi asserebat i. e. admovebat et liberum esse dicebat. Vid. Donat. ad h. l. et Brisson. de Formul. V. p. 365. *Liberalem causam* vocant ICti actionem de libertate. Vid. Lindenbrog. ad h. l. *Assero* ponitur pro *asseram*, praesens pro futuro, ut saepe.

43. *Minime miror* suppl. *eos.* Solet enim pronomen *is* ante relativum omitti. Liv. XXIII. 15. *praemia atque honores qui remanerent ac militare secum voluissent, proposuit*, ubi plura Interpretes. Quinctil. VI. 3. p. 284. *ut etiam rustici salse dicant in quisquis aliquid dixerit prior*, ubi vid. Gesner.

45. *Colaphos infregit* i. e. impegit. Plin. Hist. Nat. VIII. 36. *saepe in arena, colapho infracto, exanimantur.* Vid. Donatus ad h. l.

48. *Hariolor* i. e. falsa conficio et dico, fallor, ut solent harioli, deliro. Vid. Phorm. III. 2. 7. Pro eo *vaticinari* dicit Cic. ad Div. II. 16. *sed ego fortasse vaticinor et haec omnia meliores habebunt exitus.* Duker. ad Flor. IV. 1. p. 651.

50. *De argento somnium* h. e. quod ad argentum attinet, inanis spes est; pro quo Heaut. IV. 2. 4. dicit *quod de argento sperem nihil est.* *Somnium* est res vana, nugae. Vid. Phorm V. 6. 34.

## ACT. II. SC. II.

4. *Iniquius comparata concertatio* i. e. in qua certant minime pares. Proprietatem verbi *comparare* supra explicuimus.

5. *Defessi sumus.* Scholiastes Iuven. Sat. III. 289. legit *defecti sumus* sensu eodem, quod praefert Heinsius ad Ovid. Fast. III. 674.

7. *Os praebere* dicitur, qui se verberari patitur aut se contumeliis sponte exponit. Cic. ad Attic. I. 15. *quam dignus qui Palicano, sicut facit, os ad male audiendum quotidie praebeat.* Liv. IV. 35. *praebere ad contumeliam os.* Tacit. Histor. III. 31. *praeberi ora contumeliis.*

11. *Ne non tibi istuc feneraret* i. e. ut tibi cum fenore redderetur et multiplicaretur. Phorm. III. 2. 8. *feneratum istuc beneficium pulcre tibi dices.* Vid. Donatus ad h. l. et Schulting. ad Senec. Suasor. VII. p. 57.

20. *Illud vide.* Hac formula utuntur qui rem inopinatam vel magnam cum admiratione narrant. Cic. ad Div. XVI. 5. *vide quanta in te sit suavitas.* Schwarz. ad Plin. Panegyr. c. 70.

21. *Articulo* h. e. temporis momento. Curtius III. 5. *In quo me articulo rerum mearum fortuna deprehenderit cernitis.* Sueton. Claud. c. 4. *Quid est quod dubitemus, quin per eosdem articulos et gradus producendus sit.*

24. *Actum agit*, qui iterum sed frustra agit. Ducta formula a iudiciis, ubi quod semel iudicatum est, frustra iterum agitur. Phorm. II. 3. 72. *actum, aiunt, ne agas.* Neque adeo dici potest *actum agere* de eo qui nihil agit: quam difficulta-

tem tollit elegans viri doctissimi emendatio laudata Bentleio *nunc sic hoc omittam ac tum agam, ubi illinc rediero.*

25. *Refrigescere* metaphorice dicuntur quae non amplius aguntur, iactantur, sed memoria obliterantur. Cic. ad Quint. Fratr. II. 6. *quod de Pompeio Caninius agit, sane quam refrixit.* Huic verbo opponitur *calere.* Cic. pro Planc. c. 23. *crimen de numis caluit re recenti, nunc in causa refrixit.* Vid. Manutius ad Cic. ad Div. IX. 10.

32. *Venias in periculum.* Pro eo mox dicit *venire in dubium.* Quinctil. Decl. CCLIII. p. 459. *in periculum venit optio mea,* ubi vid. Schulting.

35. *De sorte venio in dubium* i. e. de ipsa summa, non tantum de usuris venio in periculum. *Sors* est caput pecuniae, belgice *het capitael.*

37. *Colaphis tuber est totum caput* i. e. caput ex continuis colaphis perinde ac tuber est et tuberibus plenum.

## ACT. II. SC. III.

2. *Verum enimvero.* His particulis ita iunctis raro utitur Cicero, saepe Sallustius et Livius. Sallust. Catil. c. 2. *verum enimvero is demum mihi vivere atque frui anima videtur,* ubi vid. Cortius.

5. *Praecipuum* dicitur quod non est commune cum aliis. Liv. XLII. 31. *id praecipuum provinciae Macedoniae datum,* ubi vid. Dukerus.

6. *Fratrem homini nemini esse primarum* etc. i. e. nemini fratrem obtigisse praestantiorem eximiis virtutibus. *Nemo homo* per pleonasmum iungitur, ut Eun. III. 5. 1. Hec. III. 1. 1. *Artes* dicit virtutes; praecessit enim *virtus quin superet tua.*

9. *Quine.* Illud *ne* videtur abundare, ut apud Horat. Serm. I. 10. 21. *quine putetis difficile et mirum,* ubi vid. Bentleius.

Ibid. *Omnia sibi postputare prae alterius commodo* significat, omnia ducere postponenda alterius commodo. Hec. III. 5. 33. *cum te postputasse omnes res prae parente intelligo.*

10. *Famam* i. e. infamiam. Nam *fama* in utramque partem dicitur.

## ACT. II. SC. IV.

5. *In os laudare* i. e. praesentem laudare. Lactant. III. 14. *laudat in faciem*. *Os* saepe dicitur de conspectu. Vid. not. ad Heaut. III. 3. 11.

6. *Assentandi* suppl. causa vel gratia, quod saepe per ellipsin omittitur. Cic. de Nat. Deor. I. 21. *Deliberandi sibi unum diem postulavit*, ubi vid. Davisius. Add. Interpretes ad Liv. XXXI. 12. 4. Eodem modo Graeci ἕνεκα omittunt.

Ibid. *Quo habeam gratum* i. e. quo mihi gratum et iucundum sit. Plaut. Trucul. II. 7. 56. *dona accepta et grata habeo*. Cic. Tusc. Disp. V. 15. *id gratum acceptumque habendum*.

13. *Ad forum ibo*. Ibi erant tabernae argentariae. Vid. Phorm. V. 7. 28. et Donatus ad h. l.

Ibid. *Absolvere* eleganter ponitur pro soluta pecunia dimittere. Plaut. Most. III. 1. 120. *absolve hunc quaeso vomitum, ne hic nos enecet*. Vid. Brisson. de Verbor. Significat. s. v.

15. *Quamvis* i. e. valde, admodum. Plaut. Pseud. IV. 7. 79. *quamvis pernix hic est homo*. Liv. I. 4. *posse quamvis languida mergi aqua infantes*. Vid. Graevius ad Cic. de Amicit. c. 26.

19. *Aliqua* suppl. via vel ratione.

23. *Hilarem hunc sumamus diem*. Rectissime Bentleius e Charisio veteri Grammatico emendat *hilare hunc sumamus diem*. *Hilare* Veteres dicebant pro hilariter, ut *hilarus* pro hilaris. *Sumere* est consumere. Plaut. Pseud. V. 1. 23. *hunc diem sumsimus prothyme*.

## ACT. III. SC. I.

8. *E re nata* i. e. quando res ita cecidit, quando reliqua ita se habent; qua formula utuntur, quibus quid contra volun-

tatem ita accidit, ut tamen incommodum cum aliquo commodo coniunctum sit. Vid. Donatus ad h. l. Cic. ad Attic. VII. 8. *animadverteram posse pro re natu te non incommode ad me in Albanum venire.* XIV. 6. *Antonii colloquium cum heroibus nostris pro re nata non incommodum.* Quodsi retineamus librorum fere omnium scripturam probatam Bentleio *e re natae*, intelligendum est: ex commodo filiae tuae. Sic dicitur *e re mea*, *e re tua* etc.

ACT. III. SC. II.

4. *Circumvallant* i. e. obsident, cingunt. Vid. P. Victorii V. L. XXXII. 16.

8. *Neque illum misericordia.* Mira venustas et vis est in abundanti ut videtur pronomine *illum*, quod inepti magistelli mutarunt in *ulla*. Horat. Serm. II. 6. 83. *neque ille Sepositi ciceris nec longae invidit avenae*, ubi vid. Bentleius. Virgil. Aen. V. 457. *Nunc dextra ingeminans ictus nunc ille sinistra.* Vid. Cl. Ernestum ad Callim. H. in Dian. v. 150.

10. *Vitium* i. e. stuprum. Gell. II. 23. *Ex eo vitio gravida mensibus exactis parturit.* Vid. Bentleius ad Horat. Carm. III. 27. 39.

16. *Animam* i. e. vitam. Lactant. III. 18. *exstincta innocentis anima inulta esse non potest.* et VI. 11. *animas hominum, ne exstinguantur, humanitate sustenta.*

Ibid. *Produxit* i. e. procreavit. Hor. carm. saecul. v. 17. *Diva producas subolem.*

18. *Capite primum in terram statuerem.* Verissime viri doctissimi emendarunt *capite pronum in terram statuerem*, h. e. praecipitem in terram statuerem. Catull. Carm. XVII. 23. *Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum.* Virg. Aen. I. 115. *pronusque magister volvitur in caput.* Vid. Bentleius ad h. l.

21. *Ruere* active est omnibus viribus impellere. Virg. Aen. XII. 454. *ruet omnia late.* Valer. Flacc. III. 102. *fluctu arbusta ruentem.* Vid. Lambin. ad Lucret. I. 273. et Heinsius ad Virg. Aen. VIII. 68.

Ibid. *Agerem* i. e propellerem. Sueton. Caes. c. 68. *umbone obvios agens.* Vid. Burmann. ad Phaedr. IV. 12. 3.

26. *Animam recipe* i. e respira. *Anima* saepe dicitur anhelitus. Phorm. V. 6. 28. *animam compressi.* Vid. Cl. Valkenaer. ad Euripid. Phoeniss. v. 858.

30. *Neque id occulte fert* i. e. non dissimulat, palam fatetur. Cic. pro Cluent. c. 19. *Neque id obscure ferebat.* Contra *palam* vel *aperte ferre* est publice dicere. Liv. II. 54. *palamque ferretur.* Vid. Drakenb. ad Liv. XXII. 29. 6.

Ibid. *Ab lenone eripuit* h. e. lenoni eripuit. Viri docti comparant illud Cic. pro Marcell. c. 10. *arma ab aliis erepta sunt,* pro *aliis*; quanquam Graevius eo loco scriptum putat *arma aliis erepta sunt*, ac forte melius hic fuerit *a lenone* accipere pro ex aedibus lenonis.

33. *Spes* et *opes* saepe iunguntur. Seneca Epist. 48. *in te spes opesque sunt.* Phorm. III. 1. 6. *cuius nunc miserae spes opesque sunt in te uno omnes sitae.* Vid. Cortius ad Sallust. Catil. c. 21.

35. *In gremio positurum.* Vetustissimus mos fuit iam ab heroicis ductus temporibus, ut filii pueros recens natos in patrum gremio ponerent. Vid. Homer. Il. Θ. 455. et T. Fabrum ad h. l.

47. *Secunda dos.* Intelligit virginitatem vel pudicitiam illibatam. Plaut. Amphitr. II. 209. *Non ego illam mihi dotem duco esse, quae dos dicitur.*

52. *Experiar* scil. iure vel actione i. e. in ius vocabo. Cic. pro Rosc. Com. c. 9. *Iudicio gravi experiri nolebas?* Et simpliciter *experiri* idem pro Coel. c. 8. *et constituto coepisse de tantis iniuriis experiri.* Vid. Brisson. de Verbor. Signif. a. v.

Ibid. *Accedo ut melius dicas.* Bentleius legit *cedo ut melius dicas* hoc sensu: concedo tibi, te melius dicere.

## ACT. III. SC. III.

4. *Qui alicui rei est* h. e. qui frugi est, qui probus et utilis est. Sic contra *nulli rei esse* pro inutilem esse.

11. *Quo pacto se haberet.* Frequens est *sic se res habet*; sed non minus recte dicitur *sic res habet* ut apud Liv. XXIV. 39. 9. ubi vid. Drakenborch.

15. *Disrumpor* scil. dolore ut apud Cic. ad Attic. VII. 12.

16. *Dedit in sumptum* i. e. unde sumptum faceremus, pro quo dixit Heaut. V. 1. 57. *suppeditare sumptibus.* Cic. ad Div. IX. 20. *cum in sumptum habebas*, ubi vid. Manut. Idem ad Attic. VIII. 5. *si quid opus erit in sumptum.* Senec. de Benef. II. 10. *deesse sibi in sumptum*, ubi hoc loquendi genus egregie explicat Gronovius.

23. *Ludere* i. e. huc illuc natare, vagari. Cic. in Arateis v. 328. *Exin squammigeri serpentes ludere pisces.* Vid. Servius ad Virg. Aen. VIII. 652.

26. *Clamo* i. e. clamando obiurgo. Infra IV. 7. 9. *non clamas, non insanis.* Petron. c. 46. *ideo illi quotidie clamo*, ubi vid. Burmann.

28. *Utrum studione* per tmesin dicitur pro utrumne studio. Infra IV. 5. 28. *quid illam ni abducat?* pro quidni illam abducat. Vid. Donatus ad h. l.

30. *Videre videor.* Elegans locutio et Ciceroni familiaris. Catil. IV. 6. *videor mihi videre hanc urbem subito uno incendio concidentem.* Vid. Bentleius ad Horat. Carm. II. 1. 21.

32. *Quod ante pedes est* i. e. quod praesens est. Cic. de Orat. III. 40. *transilire ante pedes posita.* Vid. Lindenbrog. ad h. l. et Cortius ad Sallust. Catil. c. 16.

39. *Ades praesens.* Haec verba interdum iunguntur. Plaut. Amphitr. III. 3. 22. *tametsi praesens non ades.* Cic. de Offic. I. 4. *quod adest, quodque praesens est.* Tusc. Disp. IV. 7. *quod sit ex usu iam praesens esse atque adesse.*

40. *Quantus quantus* i. e. quantuscunque. Phorm. V. 7. 10. *quanta quanta haec mea paupertas est.* Sic dicitur *quisquis* pro quicunque, *quodquod* pro quodcunque, et, quod cadentis latinitatis est, *qualis qualis* pro qualiscunque. Vid. Duker. de Latinit. Vet. ICtorum p. 292.

41. *Somnium* i. e. homo vanus et stolidus. Ad eum modum Petron. c. 38. dixit *phantasia, non homo*, ubi vid. Burmannus.

43. *Olfecissem* i. e. sensissem. Cic. de Leg. Agrar. I. 4. *Quisnam tam abstrusus usquam nummus videtur, quem non architecti huiusce legis olfecerint?* Sic frequens est *odorari.* Vid. Hemsterhus. ad Luciani Timon. p. 159.

52. *Ut numerabatur* i. e. dum numerabatur. Horat. Serm. I. 5. 15. *absentem ut cantat amicum*, ubi vid. Bentleius.

59. *Domi habuit unde disceret.* Hoc proverbium de iis dicitur, qui non coguntur ab aliis sumere. Plaut. Trucul. II. 5. 4. *ego prima domi modo docta dictito.* Cic. ad Div. IX. 3. *Sed quid ego nunc haec ad te, cuius domi nascuntur.* Vid. Savaronem ad Sidon. Apoll. p. 451. et Interpretes ad Petron. c. 38. p. 161.

61. *Inspicere tanquam in speculum in vitas omnium.* Sic legitur in codice Bembino omnium veterrimo et sic edidit Bentleius. Vulgares editiones habent *inspicere tanquam in speculum vitas omnium*, quam lectionem Burmannus ad Petron. c. 84. p. 414. confirmari putat loco Cic. in Pison. c. 29. *in quibus versibus, si quis velit, possit istius tanquam in speculo vitam intueri.* Sed utriusque loci diversa ratio est, ne dicam lectionem *in vitas* planissime confirmari v. 74.

71. *Lautus* dicitur de cibis et coenis, quas coquus arte et eleganter apparavit. Vid. Cic. ad Div. IX. 16. *quod erit, magnificum sit et lautum*, et ibi Manutius.

77. *Ut homo est, ita morem geras* i. e. ut hominum mores sunt et ingenia, ita illis obtemperandum est. Sumsit Terentius a Plauto Mostell. III. 2. 36. *ut homines sunt, ita morem geras.*

78. *Mentem vobis meliorem dari.* Bonam mentem precabantur iis, quos insanire vel sibi male consulere iudicabant. Senec. Controv. IV. 25. *optemus meretrici bonam mentem*, ubi vid. Gronovius. Ut *bona mens* est sana, sic *mala mens* consilii expers, non sans, stulta. Vid. Dukerus ad Flor. II. 6. p. 291.

83. *De istoc ipse viderit.* Elegans formula eorum, qui curam alicuius rei ad alium reiiciunt. Ovid. Epist. XII. 211. *Viderit hoc; si quam iam peperisse pudet.* Senec. de Benef.

II. 14. *viderit, de se, non de me, queretur.* Hanc formulam pulcre illustrant Interpretes ad Ovid. ex Ponto I. 2. 9.

88. *Antiquus* saepe dicitur de moribus candidis et simplicibus, quales apud antiquos fuerunt. Plaut. Capt. I. 2. 20. *Ille demum antiquis est adolescens moribus.* Cic. pro Quint. c. 22. *Quid tum? tu aliquem patronum invenies, hominem antiqui officii.* Idem pro Sext. c. 3. *gravissimae antiquitatis viri.* Vid. Lambin. ad Horat. Serm. II. 7. 23.

89. *Haud cito mali quid ortum* etc. h. e. non facile damno aut malo afficiet rempublicam. *Cito* est facile. Cic. in Brut. c. 76. *sed neque verbis aptiorem cito alium dixerim.* *Publice* est in rempublicam. Praepositio *ex* ponitur pro *ab.* Vid. Duker. ad Flor. I, 7. p. 65.

91. *Vivere etiam nunc lubet.* Tale votum apud Plinium in Panegyr. c. 22. *Inde alii se satis vixisse te viso, te recepto; alii nunc magis esse vivendum praedicabant,* ubi vid. Schwarzius.

## ACT. III. SC. IV.

4. *Haud paternum istuc dedisti* i. e. non fecisti illud facinus patrem imitatus. *Dare* est facere, ut Eun. V. 2. 60.

8. *Haud sic auferent* scil. inultum. Vid. not. ad Andr. III. 5. 4.

13. *Satis pie* i. e. salvo officio, quod cognatis debetur.

24. *Persuasit nox, amor, vinum.* Comparandum Callimachi Epigr. 44. *῎Ακρητος καὶ ἔρως μ' ἠνάγκασεν.* Ovid. Amor. I. 6. 59. *Nox et Amor vinumque nihil moderabile suadent,* ubi vid. Burmann. Terentium imitatur Lactant. de Ira Dei c. 20. *multa sunt, quae ad peccandum irritent, aetas, vinolentia, egestas, occasio, praemium.*

29. *Compressu.* Sic Plaut. Epid. IV. 1. 15. *quae meo compressu peperit filiam.* Terent. Phorm. V. 9. 28. *vinolentus mulierculam compressit* i. e. vitiavit.

32. *Pro certo* i. e. tanquam certum. Sallust. in Catil. c. 15. *pro certo creditur.* Notandum est *pro certo* dici in singulari, quamvis praecedat pluralis *istaec,* quod loquendi genus vindicavit Duker. ad Liv. I. 3. 2.

33. *In medio est* h. e. praesens est, ut interrogari possit. Sic *in medio posita* opponuntur reconditis. Cic. de Orat. I. 3. *dicendi autem omnis ratio in medio posita.* Contra *e medio excedere* Hec. IV. 3. 14. est subducere se ex oculis hominum. Sueton. in Caes. c. 1. *discedere medio.*

34. *Ut captus est servorum.* Hac formula utuntur de iis qui non magnam laudem merentur. Cic. Tusc. Disp. II. 27. *ut est captus hominum.* Caesar. B. G. IV. 3. *ut est captus Germanorum.*

37. *Extorque* pro *torque*, composit. pro simplici.

40. *Differor doloribus* i. e. divellor, excrucior. Plaut. Mil. IV. 4. 27. *Nempe ut assimulem me amore istius differri.* Vid. Lambin. ad Horat. Epod. X. 6.

44. *Quod ius cogit.* Bentleius recte legit *quod vis cogit* scil. legum. Phorm. I. 4. 37. *Vi coactum te esse, invitum, lege, iudicio, tenes.*

Ibid. *Voluntate* i. e. sponte vestra, vobis volentibus. Phorm. V. 3. 2. *Ut sua voluntate, id quod est faciundum, faciat.* Rutil. Lup. I. p. 63. *Sume hoc ab iudicibus nostra voluntate.* Vid. Interpretes ad Liv. V. 17. 9.

55. *Cum animo cogites.* Cic. Agrar. II. 24. *cogitare cum animis potestis.*

56 *Quam vos facillime agitis* scil. vitam. *Facile vivere* dicuntur, qui ex animi sententia sine molestiis cum sumptuum tolerandorum tum aliarum rerum vivunt. Sueton. in Terentii Vita *qui agitabant nobiles facillime.* Vid. Graev. ad Cic. Epist. ad Div. III. 12.

62. *Me indicente* i. e. tacente, nihil dicente. Rarissimum verbum etiam occurrit apud Liv. XXII. 39. *duo boni consules etiam me indicente omnia e republica fide vestra faceretis*, ubi vid. Gronovius.

## ACT. III. SC. V.

4. *Si est, facturus ut sit officium* pro si faciet officium. Hec. III. 5. 51. *si est, ut velit reducere uxorem.* IV. 1. 43. *si est ut dicat* pro dicit. Vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. I. 13. p. 89.

## ACT. IV. SC. I.

2. *Nunc cum maxime.* Hae particulae ab aliis quoque iunguntur. Cic. de Senect. c. 11. *Nunc cum maxime conficio orationes.* Vid. Westerhov. et I. F. Gronovius ad h. l.

Ibid. *Utinam velim.* Notandum est iungi *utinam* et *velim.* Aliter constructionem explicat Perizon. ad Sanct. Minerv. I. 13. p. 89. Sed durior est eius ratio.

7. *Male odi* i. e. vehementer odi. Cic. ad Att. XIV. 1. *non dubito, quin me male oderit.*

9. *Iterum reverti* est simpliciter reverti. Eun. IV. 2. 6. *redeo rursum.* Plaut. Poen. prol. 79. *Revertor rursus denuo Carthaginem.* Vid. Bentleius ad h. l.

18. *Tam placidum quam ovem reddo.* Bentleius de coniectura scribit *quam ovis est;* nam ovis natura sua est placida, non redditur placida. Sic infra V. 3. 63. *tam excoctam reddam atque atram, quam carbo est.* Sed nihil mutandum; nam elliptica loquendi ratio est, ubi supplendum *quam ovem esse constat.* Phorm. IV. 2. 1. *Ego hominem callidiorem vidi neminem, quam Phormionem.* Quinctil. IX. 2. *dic te digniorem, quam Catonem.* Vid. Sanct. Minerv. II. 10. p. 222.

21. *Lupus in fabula.* Proverbium de iis, quorum sermo abrumpitur, interveniente illo ipso, de quo sermo erat. *Fabula* est sermo. Plaut. Stich. IV. 1. 71. *Atque eccum tibi lupum in sermone, praesens esuriens adest.*

## ACT. IV. SC. II.

8. *Obnuntio* i. e. conor impedire, monendo efficio, ne quid fiat, vel ut in posterum corrigatur. Translatum est verbum a disciplina augurali, in qua proprie significat auspicium malum nunciare comitia habenti, ut comitia dirimantur. Cic. Philipp. II. 33. *augur auguri, consul consuli obnuntiavisti.* Vid. Casaub. ad Sueton. Caes. c. 20.

11. *Prorsus* i. e. recta via. Plaut. Pers. IV. 5. 5. *Simulato quasi eas prorsum in navem.*

Ibid. *Irruere* active dixit ut supra III. 2. 21. *ceteros ruerem*, et Eun. III. 5. 51. *foras simul omnes proruunt se.* Terentium imitatur Apulei. Florileg. p. 341.

17. *Gannit* i. e. murmurat, queritur. Proprie canes *gannire* dicuntur.

24. *Modo* et *nuper* saepe de magno temporis intervallo dicuntur, ut apud Liv. VI. 40. de triginta annis. Vid. Dukerum ad Flor. I. 11. p. 88.

Ibid. *In manibus gestavi* pro manibus gestavi, quod usitatius est. Sic Sueton. Claud. c. 15. *in manibus tenere* dicit pro manu tenere. Vid. Duker. ad Flor. IV. 12. p. 808.

25. *Abi.* Donatus ait verbum esse vel sibi vel alteri cum laudatione blandientis. Sic est apud Plaut. Asin. III. 3. 114. *hem sic abi, laudo.*

36. *Versus* cum adverbiis et praepositionibus *ad* et *in* iunctum abundat. Vid. quos laudat Duker. ad Liv. XXXVIII. 51. 3.

Ibid. *Praecipitato* i. e. cito descendito. Vid. Donat. ad h. l. *Praecipitare* saepe sine casu absolute ponitur. Vid. Drakenb. ad Liv. XXV. 11. 6.

37. *Propter* adverbialiter ponitur pro in propinquo. Est enim contractum ex *propiter* a *prope.* Phaedr. II. 6. 7. *propter volans.* Vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. I. 16. 148.

40. *Censen hominem me esse* i. e. censesne me sana mente praeditum esse, qui tam absurda loquar. Hunc verum sensum esse docuimus ad Rutil. Lup. II p. 114.

46. *Lectulos in sole* vocat, in quibus veteres sole maxime temperato iacebant et apricabantur vel etiam potabant. Apud antiquos inter valetudinis praesidia erat insolatio. Nam vel nudi in sole ambulabant, quod dicebant *uti sole asso*, vel oleo uncti, quod dicebant *uti sole uncto.* Cic. ad Attic. XII. 6. *pro isto asso sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, a te nitidum solem unctumque repetemus.* Vid. Casaubon. ad Persii Sat. IV. p. 343.

48. *Silicernium* proprie est coena funebris. Hinc per contemtum senex silicernium dicitur quasi dignus pro quo talis coena paretur. Vid. Fest. h. v. et ibi Scaliger.

50. *Totus in aliqua re esse dicitur*, qui se totum et omne tempus suum alicui rei impendit. Horat. Serm. I. 9. 2. *Nescio quid meditans nugarum, totus in illis.*

51. *Bellissimum* i. e. lautissimum. *Bellus* proprie pertinet ad mensas secundas, quibus bellaria inferebantur. Vid. Donatus ad h. l. et Burmann. ad Petron. c. 68. p. 338.

52. *Sorbillans.* Bentleius legit *sorbilans* secunda brevi ut *ventilans.*

Ibid. *Producam diem* i. e. diem quam potero longum faciam. Martial. II. 89. *Quod nimio gaudes noctem producere vino, Ignosco.* Vid. quae annotavimus ad Rutil. Lup. II. p. 100.

## ACT. IV. SC. III.

4. *Sibi fieri iniuriam, ultro si quam fecere ipsi expostulant.* Hic locus e codice Bembino ita legendus *sibi fieri iniuriam, ultro, si quam fecere ipsi expostules.*

11. *Relevabis animum* i. e. recreabis, eriges. Simplex *levare* saepe sic dicitur.

12. *Tabescit* i. e. conficitur. Lucret. III. 924. *Cur quisquam aeterno possit tabescere luctu?* Cic. Catil. II. 4. *exeant, proficiscantur, ne patiantur desiderio sui Catilinam miserum tabescere.*

16. *Impotentiam* i. e. inopiam, humilem conditionem. Cic. pro Mur. c. 28. *Valeant haec omnia ad salutem innocentium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitosorum*, ubi vid. Camerar. Contra *potens* est, qui magna valet auctoritate et gratia. Vid. quae notavimus ad Rutil. Lup. II. p. 74.

Ibid. *Negligi.* Magna in h. l. est scripturae varietas. Codex Bembinus habet *claudier.* Donatus in aliis libris reperit *claudicare.* Ex Bembina lectione *claudier* Faernus facit *calvier*, Bentleius *ludier.*

17. *Placabilius est* i. e. ad placandum aptius. Phorm. V. 7. 68. *Id nosmet indicare placabilius est.* Lactant. IV. 28. *si una hostia placabilis, placabiliores utique hostiae plurimae.*

## ACT. IV. SC. IV.

1. *Discrucior animi* suppl. dolore.

Ibid. *Obiici* proprie dicitur malum. Phorm. III. 2. 18. *tum hoc esse mi obiectum malum.* Virg. Aen. II. 200. *Hic aliud maius miseris multoque tremendum Obiicitur magis.*

4. *Obstupuit.* Meliores libri hic et aliis locis habent *obstipuit;* de qua scriptura vid. Heinsius ad Virgil. Aen. I. 513.

12. *Adhuc* i. e. ad hoc tempus usque. Cic. Div. in Verr. 17. *est adhuc, id quod vos omnes admirari video, non Verres, sed Q. Mucius,*

14. *Reprehendere se* eleganter dicitur pro se retinere ab aliqua re facienda vel dicenda, se reprimere, quod ipsum verbum *repressi* quaedam editiones h. l. habent. Ovid. Epist. XI. 53. *Contineo gemitus elapsaque verba reprendo.*

15. *Ac fieret palam.* Negatio *ne* revocanda est, quae tacita vi copulationi includitur. Ovid. Epist. VII. 81. *Omnia mentiris: nec enim tua fallere lingua Incipit a nobis, primaque plector ego.* Liv. XXIV. 40. *eamque urbem, sitam in plano, neque moenibus, neque viris, atque armis validam.* Vid. Duker. de Latinit. Vet. ICtorum p. 375.

17. *Ne qua exeat* i. e. ne divulgetur ille raptus. *Exire* proprie dicitur, quod in vulgus emanat. Nep. Datam. c. 6. *id Datames ut audivit, sensit, si in turbam exisset, futurum.* Gell. XII. 12. *ea res tamen, priusquam emeret, prodita est et in vulgus exivit.* Supra II. 4. 19. *ne ad patrem hoc permanet.*

22. *Expergiscere* i. e. noli amplius cessare. Sallust. in Catil. c. 20. *quin igitur expergiscimini,* ubi vid. Cortius.

## ACT. IV. SC. V.

14. *Opinor et certo scio.* Saepe Veteres, quod primo tamquam dubium ponunt, mox inter loquendum consideratum pro certo affirmant. Vetus poeta apud Gell. X. 24. *Nuper die quarto, ut recordor et certe, Aquinariam urceum unicum domi fregit.* Cic. ad Attic. VI. 3. *Q. Cicero puer legit, ut opinor et certe, epistolam inscriptam patri suo,*

21. *Animo male est* i. e. magno dolore afficior. Catull. XXXVIII. 1. *male est tuo Catullo.* Ovid. Epist. XII. 144. *hoc mihi peius erat.* Petron. c. 54. *pessime mihi erat.*

32. *Consuevit* i. e. rem habuit. Sic honesto vocabulo res turpis significatur. Cic. Verr. V. 12. *mulieres, quibuscum iste consueverat, conveniebant.* Hec. IV. 1. 40. *quacum tot consuesset annos.* Vid. Bentleius ad h. l.

34. *Praesens praesenti.* Bentleius idoneis rationibus demonstravit, legendum esse *praesens praesentem*, cum amator praesens videbit praesentem amicam sibi eripi.

37. *Auctores* nuptiarum sunt parentes, cognati, tutores, qui nuptias aut confecerunt aut probarunt aut tabulas nuptiales obsignarunt. Cic. pro Cluent. c. 5. *nubit genero socrus nullis auspiciis, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium,* et ibi Graevius. Sine eiusmodi auctoribus mulieres, quae et apud Athenienses et apud Romanos in perpetua tutela erant, nuptias contrahere non poterant. Vid. Salmasium de Modo Usurarum p. 165.

38. *Domi sedere* eleganter dicitur virgo, quae conditionem exspectat. Vid. Casaubonus ad Apulei. Apol. p. 92.

39. *Grandem* i. e. grandem natu. Plaut. Aulul. II. 2. 14. *virginem habeo grandem.* *Grandiuscula* est Andr. IV. 5. 19.

Ibid. *Hinc illinc.* Sic legendum, non *huc illuc.* Ita reponit e Donato Graevius ad Flor. IV. 2. p. 683. ediditque Bentleius.

48. *Delictum admittere in se* i. e. delictum committere. Cic. pro Cluent. c. 60. *Quid unquam Avitus in se admisit.* Vid. notata ad Rutil. Lup. II. p. 83.

57. *Dubitare* saepe iungitur cum accusativo pronominis neutrius generis. Cic. pro Rosc. c. 31. *restat, iudices, ut hoc dubitemus.* Ovid. Epist. XVII. 37. *hoc quoque enim dubito.*

60. *Deduci* proprie dicitur virgo, quae alicui conciliatur. Ovid. Epist. XVI. 313. *Paene suis ad te manibus deducit amantem.* Vid. Interpretes ad Caes. B. G. V. 14.

61. *Ceterarum rerum.* Antiquum loquendi genus pro *ceteris in rebus.* Cic. pro Quint. c. 3. *ceterarum rerum pater-*

*familias et prudens et attentus; una in re paulo minus consideratus.* Idem de Senect. c. 2. *admirari soleo cum hoc Laelio tum ceterarum rerum tuam excellentem sapientiam tum vel maxime* etc. Sic *omnium rerum* pro in omnibus rebus, quod ad omnes res attinet. Plaut. Cistell. I. 1. 33. *suique omnium rerum nos indigere.*

65. *Deos comprecare* i. e. fac sacra, vota et preces Diis nuptiarum praesidibus. De nuptialibus sacris vid. Interpretes ad Valer. Flacc. VIII. 244.

67. *Quam oculos.* In exprimenda vi amoris crebra fit oculorum mentio, quoniam oculorum sensus nobis omnium carissimus est. Catull. III. 4. *quem plus illa oculis suis amabat,* ubi vid. Muretus. nb

69. *Periit* h. e. abiit, ut nesciamus, ubi locorum sit. Sic *perire* accipit Schulting. in Quinct. Decl. XIII. p. 281.

71. *Obtemperaturos* i. e. exauditurus tuas preces. Ovid. Met. VIII. 724. *Cura pii Dis sunt et, qui coluere, coluntur.*

Ibid. *Magis* pro eo magis. Saepe praemisso *quo* omittitur *eo.* Rutil. Lup. I. p. 17. *Quo plus habes, magis eges,* ubi vid. quae annotavimus.

76. *Commoditate* i. e. facilitate, humanitate. Vid. not. ad Heaut. III. 2. 10.

## ACT. IV. SC. VI.

3. *Perreptavi.* Hoc verbo utitur ad lentum senis gressum significandum; nam qui tardo et segni gradu incedunt, *repere* dicuntur. Phaedr. V. 1. 8. *repunt ultimi,* ubi vid. Interpretes.

6. *Obsidere* pro sedere, compositum pro simplici. Plaut. Poen. prol. v. 23. *servi ne obsideant, liberis ut sit locus.*

## ACT. IV. SC. VII.

4. *Ecce autem.* Hac formula utuntur, quoties aliquid novum evenit, aut aliquid triste laetis rebus de improviso intervenit. Cic. pro Cluent. c. 5. *Ecce autem subitum divortium.* Liv. VII. 35. *ecce autem aliud minus dubium,* ubi vid. Inter-

pretes Eun. II. 3. 6. *ecce autem alterum.* Vid. Broukhusius ad Propert. II. 22. 20.]

9. *Malim quidem* soil. aliter esse. Vid. infra v. 20.

21. *Quasi cum ludas tesseris.* Pulcherrima similitudo, quam primum legimus apud Platon. de Republ. X. p. 514. quamque deinde multi, quos laudat Lindenbrogius ad h. l., ex eo repetierunt.

22. *Non cadit.* Hunc locum imitatur Caesar B. C. III. 73. *si non omnia caderent secunda, fortunam esse industria sublevandam.* Item Horat. Serm. II. 8. 85. *redis mutatae frontis ut arte Emendaturus fortunam.*

26. *Abiicere* eleganter dicitur pro alienare cum fastidio, vili vendere. Plaut. Mostell. III. 3. 3. *abiectas aedes*, ubi vid. Gronovius, qui hanc verbi vim etiam illustrat ad Senec. de Benef. I. 1. Sic et *proiicere* dicitur. Cic. ad Div. XIV. 2. *etiamne reliquias tuas miseras proiicies.* Flor. II. 16. *Quid signorum, quid vestium, quidve tabularum, raptum, incensum atque proiectum est*, ubi vid. Dukerus.

34. *Restim ductans saltabis.* Intelligit saltationis genus, quo funem tenentes saltabant et in diversum se invicem trahebant. Horat. Epist. I. 10. 47. *Tortum digna sequi potius, quam ducere funem*, ubi vid. Interpretes; inprimis Duker. ad Liv. XXVII. 37. 14.

38. *Lubentem* i. e. laetum, hilarem. Plaut. Pers. V. 1. 8. *omnes hilaros, lubentes, laetificantes faciam ut fiant.* Sic *libentia conviviorum* pro hilaritate dixit Gellius XV. 2.

43. *Salus* est Dea, Aesculapii filia, quae morbos depellit. Hec. III. 2. 3. *Quod te Aesculapi et te Salus, ne quid sit huius; oro.*

## ACT. V. SC. I.

1. *Curare* proprium verbum est mensae et convivii. Horat. Epist. I. 4. 15. *Me pinguem et nitidum bene curata cute vises.* Hinc frequens apud Historicos est locutio *corpus curare.* Vid. Broukhusius ad Tibull. I. 5. 33.

8. *Exemplum disciplinae* i. e. qui exemplo suo ostendit, quae sit familiae regendae ratio.

9. *Rem constabilisses* i. e., ut Cicero loquitur Philipp. XI. 2., rem familiarem constituisses. Plaut. Captiv. II. 3. 93. *edepol rem meam constabilivi.*

13. *Quasi re bene gesta.* Formula ducta est a re militari. Proprie enim duces *rem gerere* sive *rempublicam gerere* dicuntur. Vid. Drakenb. ad Liv. IV. 46. 10.

## ACT. V. SC. II.

4. *Parvulus.* Recte Bentleius e codice Bembino edidit *paululus. Parvulus* etiam de aetate dicitur, *paululus* non nisi de statura. Liv. XXXV. 11. *equi hominesque pauluti et graciles.*

6. *Mastigia* a graec. μαστιγίας est flagellis dignus, verbero.

10. *Silescunt* i. e. sopiuntur, componuntur. Plaut. Mil. II. 6. 100. *Dum hae consilescunt turbae.*

11. *Villum* est deminutivum a vino et hic ponitur pro crapula. Vid. Heinsius ad Petron. c. 69. p. 343.

## ACT. V. SC. III.

2. *Pepulit fores.* Ex ea ratione, quam ad Andr. IV. 1. 58. explicuimus, ingressurus domum dicebatur *dom m pellere* vel *pultare;* cum autem quis exire vellet, ostium *crepare*, *concrepare:* sed notandus hic locus, ubi etiam egressurus dicitur *fores pellere.*

4. *O maria Neptuni.* Sic *maria Oceani* dicit Flor. IV. 12. p. 817. ubi vid. Duker. Saepe autem coelum, mare et terram invocabant. Ovid. Trist. II. 53. *Per mare, per terras, per tertia numina iuro.* Addite Quinctil. Decl. VI. p. 132. *Di immortales, coeli, maris, inferorum praesides, vos solos habeo testes.*

13. *Recipere* et *receptare* plerumque in malam partem dicuntur de his, qui fures latrones aliosque sceleratos in domum

suam recipiunt et occultant. Hec. V. 1. 17. *nimum receptas filium ad te.* Hinc *receptores* vel *receptatores* apud ICtos. Vid. Brisson. de Verbor. Significat. s. v.

23. *Pro re tua* i. e. pro modo facultatum tuarum.

Ibid. *Tolerabas* i. e. sustentabas. Liv. XXVI. 40. *per latrocinia ac rapinam tolerantes vitam.* Vellei. Paterc. II. 19. *inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit.* Semper hoc verbum significat difficultatem aliquam alendi. Vid. Cortius ad Sallust. Catil. c. 37.

31. *De lucro esse* dicitur, quod praeter spem evenit. Phorm. II. 1. 16 *quicquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.* Cic. ad Div. IX. 17. *de lucro prope iam quadriennium vivimus.* Liv. XL. 8. *De lucro tibi vivere me scito*, ubi vid. Sigonius.

34 *Mitto rem* i. e. omitto de re nostra, quam filii prodigunt, queri, sed de prava illorum vita et moribus queror.

39. *Non quo, sed quod.* *Non quo* dicitur pro *non quia*, sequente etiam in altero orationis membro *quod.* Cic. ad Div. VI. 4. *non quo ego certe sciam, sed quod haud difficilis erat coniectura.* Vid. Burmann. ad Ovid. Epist. XVII. 37.

44. *Ab re omissiores* i. e. negligentiores in re familiari curanda. Heaut. V. 2. 9. *ubi te vidi animo esse omisso.* His mox opponuntur *attentiores ad rem.*

48. *Attentiores ad rem.* Haec plena est locutio. Cicero absolute *attentum* dicit pro parco et diligenti. Vid. Manutius ad Cic. ad Div. IX. 16. et Graevius ad eund. pro Rosc. Amer. c. 15.

Ibid. *Quam sat est* i. e. quam opus est. Phorm. V. 3. 14. *paene plus quam sat erat.* Liv. XXXVI. 10. *plures, quam quot satis in usum erant, ignes.*

49. *Acuet* i. e. prudentes faciet. Nep. Dion. c. 8. *homo et callidus et ad fraudem acutus.*

51. *Animus aequus* dicitur, qui, quicquid accidit, in bonam partem accipit. Flor. III. 21. *aequiore animo utcumque ferrem.*

53. *Exporge frontem* i. e. ostende te hilarem. Plaut. Cas. II. 4. 3. *primum ego te porrectiore fronte volo mecum loqui.* Idem valet *frontem explicare, solvere, relaxare*, contrarium *frontem contrahere, corrugare, ducere, adducere, adstringere*. Vid. Lambin. ad Horat. Epist. I. 18. 94. et quae annotavimus ad Rutil. Lup. I. p. 69.

55. *Luci* adverbialiter ponitur more antiquo, ut *mani* pro *mane*. Plaut. Cistell. II. 1. 49. *cum primo luci cras*. Vid. Perizon. ad Sanct. Min. I. 9. p. 64. et Bentleius ad h. l. His autem temporum nominibus saepe additur praepositio *cum*. Hirtius B. Afric. c. 62. *cum primo mane*. Sallust. Jug. c. 68. *cum occasu solis*. Vid. Oudendorp. ad Sueton. Claud. c. 34.

Ibid. *De nocte* h. e. statim a media nocte vel multa adhuc nocte. Cic. pro Mur. c. 33. *de nocte surgis*. Horat. Epist. I. 2. 32. *surgunt de nocte latrones*. Sic *de die* est statim a meridie, multa adhuc die. Liv. XXV. 23. *de die epulatis iam vini satias principiumque somni*, ubi vid. Drakenb. Infra V. 9. 8. *apparare de die convivium*. Vid. Bentleius ad Horat. Epist. I. 18. 91. et Ernest. in Clav. Cic. v. *de*.

57. *Pugnaveris* i. e. magnam rem feceris, ut bene explicat Donatus. Eun. V. 2. 60. *dabit pugnam aliquam*.

58. *Illi alligaris filium* i. e. feceris, ut illic semper maneat filius. Propert. I. 5. 12. *Illa feros animis adligat una viros*, ubi vid. Broukhusius. *Illi* antique pro *illic*, nempe rure.

## ACT. V. SC. IV.

1. *Ducere, deducere, subducere rationes* propria verba sunt de rationibus pecuniariis. Veteres enim rationes computabant calculis additis vel subductis. Vid. Gronov. Obss. II. 10. *Subducit rationes*, qui ess computat et cognoscit, quid sit expensum, quid acceptum, quid reliquum. Plaut. Curcul. III. 1. 1. *subduxi ratiunculam, quantum aeris mihi sit, quantumque alieni siet*. Cic. ad Attic. V. Epist. ult. *quid opus est*, inquam, *rationes conferatis; assidunt; subducunt; ad numum convenit*. Hinc eleganti translatione *rationes subducere* dicitur,

qui secum meditatur, quomodo recte vivendum sit. Cic. ad Div. I. 9. *Hic ego quantum humano consilio efficere potui, circumspectis rebus omnibus rationibusque subductis, summam feci cogitationum mearum omnium.*

6. *Decurso spatio* i. e. vita prope exacta. Ducta est translatio a stadio, in quo cursores se exercebant, quod Latini *spatium* vocant. Plaut. Mercat. III. 2. 4. *servibo mihi decurso iam spatio breve quod vitae reliquum est.* Cic. pro Quint. c. 31. *prope acta iam aetate decursaque.* Vid. Lambin. ad Lucret. III. 1055. et Schulting. ad Senec. Controv. I. p. 121.

10. *Nulli laedere os* i. e. neminem coram offendere.

11. *Sibi vixit* h. e. secutus est vitam sibi commodissimam, alienis negotiis se non immiscens.

Ibid. *Benedicunt* i. e. laudant, probant. Cic. pro Sex. c. 52. *cui benedixit unquam homo.*

14. *Ut quam plurimum facerem* i. e. conficerem, corraderem. Liv. I. 9. *magnas opes sibi facere.* Sic frequentissimum est *rem facere.*

16. *Exacta aetate* i. e. ad finem deducta. Cic. Verr. V. 8. *patri exacta aetate.* Sallust. Iug. c. 6. *exacta sua aetate,* ubi vid. Cortium.

21. *Fecit suos* i. e. sibi obstrinxit, conciliavit. Nep. Alcib. c. 3. *plures opera forensi suos reddiderat.* Infra V. 6. 10. *paulatim plebem primulum facio meam,* quod imitatur Ovid. Art. Amat. II. 259. *fac plebem, mihi crede, tuam.*

24. *Blande dicere* i. e. humanior esse sermone et verbis. Hec. V. 4. 21. *ut unus omnium homo te vivat nunquam quisquam blandior.*

Ibid. *Benigne facere* i. e. liberalis et munificus esse. Rutil. Lup. II. p. 127. *si quam plurimis benigne fecissem,* ubi vid. quae annotavimus.

26. *Non posteriores feram* scil. partes i. e. primus ero in dando atque obsequendo. Vid. Donatus ad h. l. Unde locutio ducta sit, explicuimus ad Eun. I. 2. 71.

27. *Deerit* suppl. *si,* quod saepe omittitur.

## ACT. V. SC. V.

4. *Praeter naturam* i. e. praeter indolem, praeter ingenium. Nepos Attic. c. 5. *Habebat avunculum difficillima natura.* Petron. c. 52. *nam modo Fortunatam suam reverebatur, modo ad naturam*, ubi vid. Burmann. Vid. Broukhus. ad Propert. II. 16. 28.

5. *Servum haud illiberalem* h. e. servum tali ingenio, quali non servi, sed ingenui et liberi homines esse solent. Vid. not. ad Andr. I. 1. 11.

## ACT. V. SC. VI.

3. *Qui vocare* i. e. quod tibi nomen est. Senec. Epist. 95. *quaeramus, quid sint, non quid vocentur.*

8. *Meditor esse affabilis* i. e. exerceo me ad affabilitatem. Sic *meditari se ad cursum* apud Plaut. Stich. II. 1. 34. significat exercere se ad cursum. Veteres quodvis corporis exercitium *meditationem* dicunt, ut apud Plin. Paneg. c. 13. *meditatio campestris* pro exercitatione armorum in campo Martio. Gronov. Lect. Plaut. p. 329.

9. *Bene procedit* i. e. ex voto succedit. *Procedere* saepe etiam simpliciter dicitur pro prospere succedere. Liv. II. 44. *eandem viam, velut processisset Sp. Licinio, ingressus*, ubi vid. Drakenborch. Eodem modo dicitur *provenire.* Iustin. VII. 6. *Quibus rebus feliciter provenientibus*; unde *secundarum rerum proventus* apud Liv. XLV. 41. ubi vid. Drakenborchius. Utrumque verbum eodem sensu etiam de personis dicitur. Infra V. 9. 22. *processisti hodie pulcre.* Plaut. Trucul. II. 6. 35. *tu recte provenisti.* Vid. Schulting ad Senec. Suasor. I. p. 15.

## ACT. V. SC. VII.

1. *Occidunt me* i. e. maximam mihi molestiam creant. Horat. Epod. XIV. 5. *candide Maecenas, occidis saepe rogando.* Phorm. IV. 3. 67. *occidisti me tuis fallaciis.* Sic *enecare* apud Comicos passim dicitur.

6. *Hoc mihi morae est* i. e. hoc me moratur, me retinet. Iustin. XXIX. 2. *quibus una haec a Graecia atque Asia sit mora.*

9. *Lampadas* i. e. faces nuptiales. Ovid. Epist. XII. 137. *at subito nostras hymen cantatus ad aures Venit, et accenso lampades igne micant*, ubi vid. Burmannus.

17. *Babylo.* Disceptant Interpretes *Babylo* sit dativus a Babylus, an *Babylo* vocetur primo casu. Posterior sententia verissima est. Nam fratrem vocat *Babylonem* pro prodigo, quod Medi et Persae tum omnium ditissimi et luxuriosissimi erant. Locum difficilem egregie expedivit Bentleius, cuius explicationem probat, cui raro Bentleiana placent, Burmannus ad Sueton. Ner. c. 36.

19. *Tu illas abi et traduce.* Notanda est synchysis vel traiectio verborum pro *tu abi et illas traduce*, quae offendit Guyetum et alios, sed bene vindicata est a Perizon. ad Sanct. Minerv. IV. 11. p. 723. Sic Plaut. Mercat. V. 4. 35. *serva et subveni hunc senem.*

21. *Factum velle* i. e. bene velle, favere. Gellius VII. 3. *quum vellent regi esse factum*, ubi vid. magnum Gronovium. Symmach. I. 77. *quaeso ut ei virtute, qua celsus es, factum velis.* Plura de hac exquisita formula Casaubon. ad Apuleii Apolog. p. 168.

## ACT. V. SC. VIII.

11. *Me ducere autem.* Particula *autem* cum interrogatione indignandi vim habet et correctioni servit. Mox v. 17. *promisisti autem* et v. 27. *paulum id autem est.*

12. *Nihil agis.* Frequens formula de inani opera. Cic. pro Rosc. Amer. c. 45. *quae si in patronum suum voluerit conferre, nihil egerit.* Rutil. Lup. II. p. 120. *cogis me iniuriae tuae causam proferre; nihil agis*, ubi vid. quae annotavimus.

14. *Aufer* scil. manum, qua orans patris manum prensabat. Donatus intelligi vult *te*. *Auferre se* est abire, ut *afferre se*, advenire.

Ibid. *Da veniam filio* h. e. fac rogata, concede quod filius petit. Cic. ad Quint. fratr. III. 1. *Caesaris consilium probo, quod tibi amantissime petenti veniam non dedit.*

17. *De te largitor* i. e. de bonis tuis. Plaut. Pseud. II. 4. 45. *possum a me dare.* Cic. ad Attic. V. 21. *se a me solvere.* Vid. Schwarz. ad Plinii Panegyr. c. 26.

20. *Vis haec quidem est.* Formula eorum, qui vehementius premebantur vel vi externa vel verbis et oratione. Cic. de Amicit. c. 8. *vim hoc quidem est afferre.* Sueton. Caes. c. 82. *ista quidem vis est.*

26. *Sub urbe* i. e. ad urbem, prope urbem. In hac forma *sub* imprimis ponitur in propinquitate loci editioris. Sic elegantius est *sub monte castra metari* quam *prope montem.*

Ibid. *Quod locitas foras* i. e. quod peregrinis locas colendum.

27. *Huic demus qui fruatur* i. e. huic concedamus fruendum, ut annuos inde fructus et reditus percipiat, ita tamen ut ager tuus maneat, qualis ICtis *usufructuarius* dicitur. Liv. XLII. 19. *promulgavit, ut agrum Campanum censores fruendum locarent.* *Qui* est ablativus, ut Heaut. IV. 5. 30. *argentum dabitur ei ad nuptias, aurum atque vestem qui, tenesne?*

28. *Pro patre* i. e. loco patris. Cic. Verr. IV. 41. *tibi statua pro patibulo fuit.*

35. *Suo sibi gladio hunc iugulo* i. e. quod ipse dixit, in ipsum converto, dicto suo contra ipsum utor. Idem proverbium est apud Cic. pro Caecin. 29. *Suus sibi* eleganter iunguntur et valent *suus proprius.* Plaut. Capt. I. 1. 14. *suo sibi succo vivunt.* Cic. de Amic. c. 3. *iterum suo sibi tempore.* Gellius V. 10. *magister suo sibi argumento confutatus est.*

## ACT. V. SC. IX.

1. *Factum est quod iusti.* Ducta est formula a more militiae. Nam tribunus vel centurio iussus aliquid exsequi, imperatori renuntiabat id factum esse. Sueton. Tiber. c. 21. *renunciati tribuno factum esse, quod imperasset,* ubi vid. Casaubonus.

7. *Res apparet* i. e. res ipsa docet, rerum testimonia adsunt.

Ibid. *Cum fide scortum* i. e. psaltriam quae fidibus canat. Frequentior est pluralis *fides, ium.*

16. *Uxorem.* Servae, quae a servis in contubernio habentur, non *uxores* aut *coniuges*, sed proprie *contubernales* appellantur. Sed veteres scriptores non semper hoc discrimen observant.

19. *Emitti* i. e. manumitti. Locutio plena Phorm. V. 5. 2. *nam emissa est manu.* Simpliciter *emittere* apud Plaut. Pseud. IV. 2. 37.

22. *Processisti pulcre* i. e. pulcre tibi processit. Horat. Serm. I. 2. 38. *procedere recte qui moechos non vultis*, ubi vid. Bentleius.

23. *Prae manu esse* dicuntur nummi praesentes, qui adsunt. Plaut. Bacch. IV. 3. 10. *omne aurum amans, quod fuit prae manu.* Burmann. ad Petron. c. 76. p. 380. *prae manu* perperam refert ad *dare* comparans locutionem *nummos in manu ponere.*

24. *Unde utatur* i. e. quo vivat, quo cultum et victum habeat. Plaut. Trin. II. 2. 74. *qui nosmet utamur.* Cic. ad Attic. XI. 11. *quare id quoque velim cum illa videas ut sit, qui utamur.* Hanc loquendi formulam pulcre explicat Gronov. de Pecun. vet. II. 7.

Ibid. *Istoc vilius* Donatus ait negationem esse floccum ostendentis aut quid tale. Vid. Bentleium ad h. l.

28. *Proluvium* a *proluo* Interpretes explicant effusam largitatem. Sed praestat legere *prolubium* a *prolubere* i. e. promtus animus ad largiendum. Hanc scripturam sequitur Donatus confirmatque Bentleius.

33. *Omnia obsequor.* Eadem constructione Phorm. I. 2. 29. *coepi iis omnia facere, obsequi quae vellent.*

36. *Consulitis parum* i. e. parum consulto agitis. Sallust. de rep. ordin. I. 1. *Id evenit, quia plerique rerum potentes perverse consulunt.* Vid. Gronov. ad Liv. XXI. 16. 2.

37. *Obsecundare* i. e. obsequi. Liv. III. 35. *obsecundando mollire impetum adgrediuntur,* ubi vid. Drakenborch.

# IN HECYRAE

## PROLOGUM I.

1. *Cum data est nova* i. e. cum primum acta est. Cic. Tusc. Disp. I. 1. *Livius fabulam dedit.* Idem in Brut. c. 18. *Livius primus fabulam docuit.*

2. *Vitium* i. e. impedimentum. Vox sumta est ex augurali disciplina. Nam augures *vitium* appellabant, si tonuisset aut grandinasset aliudve saevum, quo comitia dirimerentur, observatum esset. Hinc *vitio creati magistratus* sunt malis ominibus creati, qui cogebantur magistratum deponere. Hinc etiam *vitium* pro quovis impedimento. De proprietate vocis *calamitas* diximus ad Eun. I. 1. 34.

3. *Spectari* h. e. perspectari, usque ad finem spectari. Sic capiendum hoc verbum esse sequentia docent. Vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. IV. 11. p. 722.

4. *Studio stupidus* i. e. studio spectandi et admiratione stupens.

5. *Animum occuparat* i. e. animum occupatum habebat. Pacuvius apud Non. Marcell. p. 355. diversa structura *super satis agere, ut ne in mare animum occupes.* Plaut. Pseud. I. 5. 135. *Ne quo te ad aliud occupes negotium.*

## PROL. II.

2. *Eodem iure uti* h. e. eandem conditionem habere. *Ius* saepe est conditio, status. Cic. Agrar. III. 2. *libera praedia meliore iure, sunt, quam serva.* Idem de Off. II. 8. *regiones uno calamitatis iure comprehendere.* Mox repetit vocem *iure*, ut centies optimi scriptores. Vid. Manut. ad Cic. Divinat. c. 1. et Drakenborch. ad Liv. I. 3. 9.

4. *Inveterascerent* i. e. in consuetudinem venirent. Lucret. IV. 1061. *Ulcus enim vivescit et inveterascit alendo.* Cic. ad Attic. XIV. 9. *quae mihi videntur habitura etiam vetustatem.*

7. *Partim* construitur ut *quidam* vel sequente genitivo vel praepositione aliqua. Nepos Attic. c. 7. *quorum partim invitissimi castra sunt secuti, partim cum summa eius offensione domi remanserunt.* Cic. de Leg. II. 17. *partim ex illis distracti ac dissipati iacent.* Gell. X. 13. *in cubiculum surreptitavit e convivio, cum partim illorum iam saepe ad eundem modum fuit.* Vid. Gronov. Obss. III. 2.

Ibid. *Stare* dicuntur actores vel fabulae, cum placent spectatoribus et probantur. Phorm. prol. v. 9. *olim cum stetit nova, actoris opera magis stetisse quam sua.* Contra *cadere* dicuntur, cum exploduntur et exiguntur. Horat. Epist. II. 1. 176. *Securus, cadat an recto stet fabula talo,* ubi vid. Lambinus. Male vulgo huc trahitur locus Cic. ad Div. I. 4. *cum in senatu pulcherrime staremus.* Nam hoc intelligendum ex illa verbi ratione, cum pro *dicere* usurpatur. *Stantes* enim dicebant. Vid. Ernest. Clav. Cic. in v. *stare.*

25. *Pugilum gloria.* Hoc referendum est cum reliquis nominativis ad verbum *fecerunt*, quamvis ab eo separatum sit per sententiam de funambulo, quae alterius est constructionis. Sic si locus capiatur cum Perizonio ad Sanct. Min. IV. 11. p. 724., non opus est Bentleii emendatione, qua *accedens* pro *accessit* scribit.

27. *Strepitus.* Donatus in libris suis *studium* reperit, quod est certamen diversis faventium; et haec lectio melior videtur Heinsio ad Ovid. Amor. III. 2. 67.

30. *In experiundo ut essem* i. e. ut experirer. *Esse in aliqua re* frequens est pro in aliqua re versari.

32. *Gladiatores* saepe dicuntur ipsum spectaculum gladiatorium, ut apud Cic. ad Div. X. 32. *gladiatoribus Gallos equites immisit in populum.*

41. *Pretium.* Histrionibus certa merces dabatur ab editoribus ludorum vel de publico, quam proprio nomine *lucar* appellabant. Vid. Lipsius ad Tacit. Annal. I. 77.

43. *Servire vestris commodis* i. e. studere, operam dare. Cic. ad Div. V. 21. *valetudini tuae et tranquillitati animi servias.* Nepos Hamilc. c. 1. *tamen paci serviendum putavit*, ubi vid. Heusinger.

47. *Causam accipere* vel, ut Cicero loquitur, *recipere* dicuntur causidici, qui causae defensionem suscipiunt.

49. *Meum pretium* Broukhusius Donatum secutus ad Propert. IV. 7. 65. explicat aestimationem a me factam, quod aediles fabulam emerant, quanti actor aestimasset. Sed durior est haec ratio; ac, licet verum, plerumque aediles a poetis fabulas emisse, aliquando tamen actores quoque fabulas suo pretio emerunt, ut Paris histrio apud Iuvenal. Sat. VII. 87. a Statio emit Agaven.

## ACT. I. SC. I.

1. *Per pol quam* per tmesin dicitur pro *pol perquam:* sic Andr. III. 2. 6. *per ecastor scitus puer* pro *ecastor perscitus puer.*

8. *Spolies, mutiles, laceres* h. e. omnibus bonis eum spolies et ad summam inopiam redigas. Similis metaphora Phorm. II. 2. 13. *Quot me censes homines iam deverberasse usque ad necem.* Vid. Duker. de Latinit. Vet. ICt. p. 431.

Ibid. *Quemque* pro *quemcunque.* Liv. I. 24. *cuiusque populi cives eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret*, ubi vid. Interpretes. Bentleius et alii ediderunt *quemquem.* Sic Plaut. Menaechm. V. 1. 17. *Omnia mala ingerebat, quemquem adspexerat.*

9. *Eximium neminem habeam* h. e. neminem eximam, omnes eodem modo tractem. Cic. in Caecil. c. 16. *neque enim esset verisimile, cum omnibus Siculis faceret iniurias, te illi unum eximium fuisse.* Liv. IX. 34. *tu unus eximius es, in quo hoc praecipuum ac singulare valeat.* *Eximius* et *egregius* propriae voces sunt in re sacra et dicuntur de victimis, quae e grege sumuntur ad sacrificandum. Vid. Donat. ad h. l. Festus v. *eximius* et Drakenborch. ad Liv. VII. 37. 1.

## ACT. I. SC. II.

3. *Si quaeret* etc. Praecedit imperativus *dicito*, sequitur subiunctivus *dicas*, in quo supplendum est *fac* vel si quid aptius. Virg. Aen. III. 114. *Ergo agite et divom ducunt qua iussa, sequamur*. Liv. III. 21. *invitamini turbam, et qui exemplo aliis esse debetis, aliorum exemplo peccetis potius quam alii vestro recte faciant* etc., ubi vid. Dukerus.

5. *Integrum* vel *in integro esse* dicitur, quod adhuc est nostri arbitrii, quod adhuc ita in potestate est, ut vel fieri vel omitti possit. Cic. Verr. II. 40. *cum tibi in integro tota res esset*. Liv. XXXIX. 4. *ut ea disceptatio integra in adventum suum servaretur*. Vid. Drakenb. ad Liv. XL. 17. 6.

9. *Ubi te oblectasti tam diu* i. e. ubi tam diu vitam iucunde transegisti; interdum *oblectare* etiam in malam partem dicitur, ut apud Plaut. Asin. I. 2. 16. *Sordido vitam oblectabas pane*. Vid. Gronov. Lect. Plaut. p. 36.

19. *Praefinito* i. e. certo modo praescripto.

21. *Finem statuisse orationi* i. e. modum loquendi praescripsisse, praefinisse. *Finis* saepe est certus modus ac mensura. Cic. de Offic. I. 29. *nam qui appetitus longius evagantur, non satis a ratione retinentur, hi sine dubio finem et modum transeunt*. Lucan. II. 380. *hi mores, haec duri immota Catonis secta fuit, servare modum finemque tenere*, ubi vid. Oudendorp.

29. *Non est opus prolato* i. e. evulgari non debet. Casaubon. ad Sueton. Ner. 45. hanc formulam male comparat cum graec. οὐχ ἕδρας ἀγών.

33. *Ut tergum* etc. i. e. ut tibi credam aliquid, quod si proferas, ego flagris caedor.

37. *Si mihi fidem das* i. e. si mihi sancte promittis. Cic. ad Div. V. 11. *quamcunque ei fidem dederis, praestabo*. Interdum *fidem dare* est fidem firmare, efficere ut quid credatur. Ovid. Fast. II. 20. *Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem*. Vid. Schwarz. ad Plinii Panegyr. c. 74.

39. *Istic sum* i. e. iam attendo, hoc ago.

40. *Ut cum maxime.* Sensus est: Bacchidem ita tum amabat ut cum maxime eam amarat. Cic. ad Quint. fratr. II. 6. *domus celebratur ita ut cum maxime.* De harum particularum usu disputant Duker. ad Flor. II. 16. p. 399. et Ernest. Clav. Cic. v. *cummaxime.*

44. *Praesidium senectuti.* Liberi saepe dicuntur parentum praesidia, munimenta, subsidia. Vid. Tacit. Annal. I. 3. *quo pluribus munimentis insisteret* et ibi Lipsius.

48. *Tundendo* h. e. idem saepe et moleste repetendo. Vid. not. ad Andr. II. 2. 11. ubi eodem sensu est *obtundere.*

Ibid. *Odio* i. e. importunitate, molestia, quae odium facit. Plaut. Asin. II. 4. 40. *Perii hercle, iam hic me abegerit suo odio.* Horat. Serm. I. 7. 6. *Durus homo, atque odio qui posset vincere Regem,* ubi vid. Torrentium. Phorm. V. 6. 9. *Pergin? hercle nunquam hodie odio tuo me vinces.* Vid. Perizon. ad Sanct. Min. II. 13. p. 251. et Ernest. Clav. Cic. h. voce.

60. *Deduci* proprie dicebatur puella, quae nubebat et ad maritum, pueris patrimis et matrimis faces praeferentibus, ducebatur. Tibull. III. 4. 31. *Ut iuveni primum virgo deducta marito.* Vid. Gronov. Lect. Plaut. p. 110. et Interpret. ad Liv. X. 23. 5.

64. *Plus potus;* plena locutio est: plus solito potus.

69. *Seducere* est seorsim ducere, ut solus cum sola colloquare. Cic. ad Div. I. 9. *saepe eum in senatu modo severe seducerent.* Cf. Ernesti Clav. Cic. s. v. Phaedr. III. 10. 11. *maritus seductus in secretum a liberto suo.* Barbari hodie *seducere* dicunt pro in fraudem inducere. Vid. Graev. ad Cic. ad Div. II. 7.

70. *Ab se* i. e. quod ad se attinet. Plaut. Curcul. I. 1. 51. *Tam a me pudica est, quasi soror mea sit.*

Ibid. *Integra* i. e. cuius pudicitia illibata est. Catull. LXII. 36. *vos item simul integrae virgines.*

73. *Decernere* est ex iis verbis, quorum perfecta Veteres fere contracta proferebant, *decrerim, decrero, decresse.* Vid. Drakenb. ad Liv. II. 27. 8. Est autem *decernere* existimare, iudicare. Vid. dictata ad Heaut. I. 1. 95.

74. *Ludibrio haberi* i. e. vitiari; *ludere, illudere, ludificari* saepe hoc sensu dicuntur.

79. *Cui nihil dicas vitii* scil. esse i. e. quam nullius culpae accusare possis. Plaut. Asin. V. 2. 49. *Quid pericli sit dotatae uxori vitium dicere.* Nepos Agesil. c. 5. *quod tam multi a se victi vitio adversariorum concidissent.*

84. *Maligna facta est* i. e. difficilis, quae parce praebebat corpus suum. Vid. Donatus ad h. l.

88. *Ad exemplum.* Negat Bentleius se intelligere, quid significet *ad exemplum,* corrigitque *ad amussim* i. e. accurate. *Amussis* est regula fabrorum, qua opus examinant an rectum sit. Corruptum locum esse liquet: Bentleii coniectura an vera sit, dubitamus.

94. *Huc transtulit amorem* i. e. hanc amare coepit. Propert. I. 12. 18. *Sunt quoque translato gaudia servitio.* Heaut. II. 4. 10. *Haec ubi immutata est, illi suum animum alio conferunt.* Eamdem rem ita expressit Cic. Philipp. II. 31. *caput autem litterarum, sibi cum illa mima posthac nihil futurum, omnem se amorem abiecisse illinc atque in hanc transfudisse.*

105. *Postulatio* dicitur, quae frequentius *expostulatio* i. e. querela. Plaut. Bacch. III. 3. 45. *Acris postulatio haec est, cum huius dicta intellego.* Sic *postulare* pro *expostulare.*

114. *Visere ad eam* pro visere eam. Ovid. Amor. II. 2. 21. *Ibit ad affectam, quae non languebit, amicam Visere,* ubi idem qui in Terentio Graecismus est: *ibit visere* pro *ibit visum.* Vid. ibi Heinsius.

118. *Curae est* i. e. anxius et sollicitus sum. Cic. ad Div. X. 1. *Itaque mihi maximae curae est non de mea quidem vita, sed me patria sollicitat.*

119. *Pergam iter* scil. facere. Sallust. Iug. c. 79. *maturavere iter pergere,* ubi vid. Cortius.

## ACT. II. SC. I.

4. *Uno animo* i. e. eodem animo. Sic dicitur *una voce, uno ore.* Vid. Heinsius ad Ovid. Met. X. 33.

6. *In eodem omnes ludo doctae ad malitiam* i. e. omnes sunt aeque improbae, altera alteri non cedit improbitate. Locutio ducta est a ludo sive gladiatorio sive litterario. Vid Torrentium ad Sueton. Caes. c. 26. *Doctae ad malitiam* dicitur ut apud Cic. pro Mil. c. 4. *ad quam legem non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus.*

14. *Ex amicis inimici ut sint.* Sic Caesar B. C. III. 104. *ut plerumque in calamitate ex amicis inimici exsistunt.* Vid. notat. ad Andr. I. 1. 10.

16. *Excorere* i. e. existis, reperiris. Imprimis hoc verbum dicitur de illis, qui praeter exspectationem existunt. Vid. Donatus ad h. l.

27. *Concedere* ponitur pro simplici *cedere* i. e. locum, facultatem dare. Plaut. Amphitr. I. 1. 119. *neque nox quoquam concedit die.* Vid. Drakenborch. ad Liv. II. 47. 3.

28. *Ut nostra res posset pati* i. e. ut sufficere posset sumptibus quos facitis ferendis. Horat. Epist. I. 18. 28. *meae stultitiam patiuntur opes* i. e. meae opes tantae sunt, ut stultitia illas non attenuet.

31. *Evenit.* Mss. quidam habent *venit*, quod non contemnendum. Nam *venire* pro *evenire* alii quoque scriptores dicunt. Liv. IX. 12. *omnia quae deinde venerunt*, ubi vid. Dukerus.

34. *Puellae* dicuntur feminae adolescentiores, etiam nuptae. Ovid. Epist. I. 115. *Certe ego, quae fueram te discedente puella*, Penelope de semet ipsa ad Ulyssem. Idem Fast. II. 557. *viduae cessate puellae.*

36. *De te peccando detrimenti nil* etc. i. e. iam talis es, ut peccando peior fieri non possis.

43. *Et merito.* Frequens formula praesertim apud poetas. Propert. I. 17. 1. *Et merito, quoniam potui fugisse puellam, Nunc ego desertas alloquor Alcyonas*, ubi vid. Broukhusius.

45. *Exigunt* scil. domo i. e. divortium cum illis faciunt. Plaut. Mercat. IV. 6. 5. *Uxor exigitur matrimonio.* Sueton. Caes. c. 50. *cuius causa post tres liberos exegisset uxorem.*

ACT. II. SC. II.

7. *Magis in rem nostram.* Bentleius edidit *magis rem in vostram et nostram id esset*, addens hoc civilius et moratius esse. Sed Veteres millies suum nomen alterius nomini praeponunt, neque talia exigenda sunt ad morum, qui nunc sunt, elegantiam. Vid. Burmann. ad Lucan. IX. 985.

8. *In illarum potestate esse te* i. e. facere te quicquid illae volunt, plane illis obsequi et nulla in re adversari. Cic. ad Attic. III. 22. *eum totum esse in illius potestate.* Idem ad Div. V. 4. *omnibus in rebus me fore in tua potestate tibi confirmo*, ubi vid. Graevius.

16. *Concedo ut.* Eadem constructio est apud Cic. ad Div. X. 29. *nec his concedo ut te salvum malint quam ego.* Idem aliis locis hoc verbum construit cum *qui;* ad Div. X. 3. *nemini concedentem qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse*, ubi vid. Manutius.

18. *Magnificare* i. e. magni facere, magni aestimare. Saepe hoc verbum occurrit apud Plautum, cuius loca Rivius ad h. l. indicavit. Idem Auctori ad Herenn. IV. 21. restituit Graevius. Verum Bentleius in Terentio et Plauto legi iubet *magni facere;* nec abhorret a vero, librarios cadentis latinitatis verbum *magnificare*, quod ipsis erat familiarius e vulgata Bibliorum versione, alteri passim substituisse.

28. *Leni ego sum animo natus.* Verbum *natus* eleganter abundat, ut in aliis formulis *vir natus*, *mortalis natus*, *mulier nata.* Vid. not. ad Rutil. Lup. II. p. 94.

ACT. II. SC. III.

1. *Edepol ne.* Uti hic *ne* post *edepol*, sic post *medius fidius* abundat apud Cic. ad Attic. IV. 4, ubi vid. Bosium.

ACT. III. SC. I.

1. *Oblata* i. e. obiecta, ut alibi loquitur. Sic *offerre iniuriam* infra V. 1. 13.

2. *Vitam parsi perdere* i. e. abstinui vitam perdere. Ovid. Trist. III. 3. 51. *parce tamen lacerare genas.*

6. *Nam nos omnes.* Notandum est ἀνακόλουθον, quo primum nominandi casus positus est, mox verbum, quod dativum postulat, subiectum. Talia optimis quibusque scriptoribus vel invitis exciderunt vel studio quaesita sunt, ut oratio gratam negligentiam haberet. Multa exempla congesserunt Muretus Epist. I. 33, Davisius ad Caes. B. G. I. 41. et Cortius ad Sallust. Iugurth. c. 30.

14. *Alibi* i. e. in alio amore; *alibi* eodem modo de personis dicitur, quo *unde* et *inde.*

23. *Iniurias quae.* Grammatices ratio postulat *quas*, sed maluit Terentius *quae* dicere, ut conclusio ad omnia referatur. Vid. Donat. ad h. l. Et est haec generis mutatio satis usitata, Broukhus. ad Propert. I. 18. 23.

26. *Veram rationem exsequi* i. e. inquirere, pervestigare. Liv. III. 5. *exsequendo subtiliter numerum.* Hinc saepe Livius iungit *exsequi quaerendo, exsequi sciscitando.* Vid. Gronovius ad Liv. IX. 3. 11.

30. *Iras gerunt.* Sic *odium gerere* dicit Livius XXVIII. 22.; *cupiditatem gerere* Iustin. XVII. 1.; *desideria gerere* Quinctil. Declam. X., ubi *gerere* sumendum est pro habere. Vid. Burmann. ad Calpurn. Flacc. Declam. XIII. p. 808. Imprimis frequens est *animum gerere.* Cic. Parad. c. 5. *gere igitur animum laude dignum.* Iustin. XLIV. 2. *feris propiora quam hominibus ingenia gerunt.* Senec. Hippol. v. 573. *Quam victus animum feminae mitem geram.*

31. *Infirmus animus* proprie tribuitur ei, qui motibus animi non moderatur. Caes. B. G. IV. 5. *infirmitatem Gallorum veritus quod sunt in consiliis capiendis mobiles.*

32. *Levi sententia* i. e. mutabili consilio: *sententia* valet consilium, animum. Plaut. Mostell. I. 3. 15. *Ut lepide res omnes tenent sententiasque amantum.* Idem Mil. II. 1. 51. *Ego quoniam inspexi mulieris sententiam, cepi tabellas, consignavi clanculum.*

33. *Conciverit.* Donatus legit *concivisse*, quae verior lectio est. Nam Veteres *fortasse*, *scilicet*, *videlicet* cum infinitivo construere solebant. Vid. Gronov. Obss. III. 9. et notata ad Heaut II. 3. 117.

34. *Me venisse nuncia.* Notandus mos Veterum, quo mariti, etiam praemisso servo, uxoribus nunciabant se venire. Vid. Broukhus. ad Tibull. I. 3. 89.

35. *Trepidare* est satagere, discurrere cum pavore quodam. Sallust. Iug. c. 67. *milites improviso metu trepidare ad arcem oppidi.* Liv. XXVII. 1. *ut pars terga trepidantium invaderent*, ubi vid. Interpretes; imprimis Duker. ad Flor. III. 10. p. 527.

41. *Pavitare* i. e. frigore et febri iactari. Vid. Servium ad Virg. Aen. I. 92.

46. *Perisse me una.* Similis locus Propertii II. 21. 42. *vivam, si vivet, si cadet illa, cadam.* Vid. Columnam ad Ennii Fragm. p. 288.

54. *Capiti illorum* i. e. vitae, et sic *caput* semper dicitur in hac imprecationis formula. Plaut. Rud. V. 2. 59. *Venus eradicet caput atque aetatem tuam.* Virg. Aen. VIII. 484. *Di capiti ipsius generique reservent.* Heinsius ad Ovid. Epist. XX. 127. Graevius ad Coelii Epist. Cic. ad Div. VIII. 1. et Bentleius ad Phorm. III. 2. 6.

## ACT. III. SC. II.

1. *Tumultuari* passive dicitur. Nam apud Veteres etiam activum *tumultuare* in usu fuit. Vid. Vossius de Analog. III. 7. p. 284. et Interpretes ad Caes. B. G. VII. 61.

2. *Ne morbus aggravescat* i. e. augeatur, amplior fiat, ut paulo ante dixit. Cic. Catil. I. 13. *hic morbus qui est in republica vehementius ingravescet.*

6. *In proximo* i. e. in vicinia. Plaut. Cistell. I. 1. 102. *habitat hic in proximo.*

14. *Si remittent* etc. Duplex huius loci lectio est: *Si remittent quippiam Philumenae dolores* et *si remittent quippiam*

*Philumenam dolores.* Si priorem lectionem sequamur, *dolores remittent* significat leniores fient, sedabuntur, pronomine *se* subintellecto, quod saepe additur. Cic. in Brut. c. 34. *cum remiserant dolores pedum, non deerat in causis.* Sin posteriorem lectionem, quae pluribus auctoritatibus nititur, praeferamus, *dolores remittent Philumenam* significat dolores relinquent Philumenam.

19. *Meliuscula est* i. e. meliuscule vel paulo melius habet. Cic. ad Div. XVI. 5. *quem, cum meliuscule tibi esset, ad me mitteres.* Celsus de Medic. III. 22. *qui meliusculus esse coepit, adiicere debet exercitationes.*

24. *Iis onera adiuta* i. e. iis adiuta oneribus ferendis. Notandus est dativus personae, isque per archaismum verbo *adiutare* iungitur. Vid. Interpretes ad Petron. c. 62. p. 313. Terentium imitatur Gell. II. 29. *roges, veniant operamque mutuam dent, et messem hanc nobis adiuvent. Adiutare* cum accusativo rei est Phorm. I. 2. 49.

## ACT. III. SC. III.

4. *Me eduxi foras* i. e. foras prodii. Plaut. Bacch. IV. 2. 11. *duc te ab aedibus.* Cic. ad Div. X. 32. *Balbus duxit se a Gadibus,* ubi vid. Manutius; item Bentleius ad IV. 1. 7.

5. *Me intro corripui* i. e. raptim introii. Mox v. 16. *corripui illico me inde lacrumans.* Infra IV. 1. 3. *ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam.* Vid. Heinsius ad Virgil. Aen. VI. 472.

10. *Offerri* dicuntur, quaecunque praeter exspectationem obiiciuntur sive bona sive mala. Vid. Donatus ad h. l.

12. *Eius videndi.* Non opus est legere *videndae.* Rationem constructionis explicant Sanctius Minerv. III. 8. p. 456. et ibi Perizonius.

17. *Percitus* i. e. vehementer commotus. Lucret. V. 400. *ira tum percitus acri.* Cic. pro Mil. c. 23. *sive enim illud animo irato ac percito fecisset.* Liv. VI. 38. *tum percitus ira Camillus,* ubi vid. Drakenborchius.

18. *Limen exire* notandum est pro exire limine vel de limine. Eodem modo dicitur *egredi portam, urbem.*

Ibid. *Ad genua accidere* vel *genibus accidere* est in genua procumbere supplicandi causa. Seneca Troad. 690. *ad genua accido supplex.* Sueton. Caes. c. 20. *ut ad genua ultro sibi accideret.* Vid. quae notavimus ad Rutil. Lup. II. p. 96.

19. *Ut puto* fere idem est quod *ni fallor.* Catull. XV. 13. *hoc unum excipio ut puto pudenter.* Vid. Duker. ad Sueton. Vespas. c. 23.

20. *Ut res dant sese* i. e. ut res eveniunt vel succedunt. Vid. notat. ad Heaut. V. 1. 43.

Ibid. *Magni sumus* i. e. superbi, elati. Plaut. Mil. IV. 2. 53. *magnum me faciam nunc, quoniam illaec me collaudat.* Hinc *magnum dicere* apud Virgil. Aen. X. 547. significat arrogantibus verbis uti. Vid. Cl. Koenium in Praefat. ad Gregor. de Dialectis p. X. Contrarium est *minoribus verbis uti* apud Ovid. Met. VI. 151.

Ibid. *Humiles* i. e. animis submissis, abiectis. Cic. ad Attic. II. 21. *ut ille tum humilis, ut demissus erat.* Burmann. ad Lucan. VIII. 157.

21. *Institit.* Quidam mss. habent *instituit*, ut aliis locis centum variatur. Burmann. et Oudendorp. ad Sueton. Vitell. c. 2. *institit* de eo recte dici putant, qui quid pergit facere, *instituit* de eo, qui quid incipit facere. Sed promiscuus horum verborum usus videtur; certe apud Cic. ad Div. X. 16. *flagitare senatus institit*, hoc verbum non *perrexit*, sed *coepit* significat. Vid. Interpretes ad Liv. XXVIII. 46. 11.

27. *Ius* est ius humanum, *fas* est ius divinum. Virgil. Georg. I. 269. *Quippe etiam festis quaedam exercere diebus Fas et iura sinunt*, ubi vid. Servium. Plura de hoc discrimine Duker. ad Flor. II. 20. p. 425.

30. *Gratiam des* i. e. beneficium. Plaut. Captiv. III. 5. 63. *Ergo ab eo petito gratiam istam.* Sallust. Iug. c. 110. *ut rex privato homini gratiam deberem.*

59. *Recte natus* dicitur, qui ex legitimo matrimonio natus est.

46. *O fortuna ut nunquam es perpetuo bona.* Bentleius Donato duce sic legit: *O fortuna ut nunquam perpetua es data.* Plaut. Cistell. I. 3. 46. *Ut sunt humana, nihil est perpetuum datum.* Mutarunt lectionem veterem, qui non concoquerent *fortunam* absolute dici pro bona fortuna. Sed sic est Phorm. V. 6. 44. *Tantam fortunam de improviso esse his datam.* Terentii loco similis ille Rutilii Lupi II. p. 75. *o fortuna, quam vehementer te rerum varietas oblectat.*

48. *Consilio* i. e. ratione, prudentia. Cic. pro Murena c. 12. *mulieres omnes propter infirmitatem consilii maiores in tutorum potestate esse voluerunt.* Liv. XXXIX. 35. *cum omnia ira, non consilio gererentur.* Vid. Gronov. ad Liv. XLIV. 2. 5.

Ibid. *Huic* nempe uxoris amori, ut eum missum faciam.

54. *Ablegandus* i. e. amandandus. Hoc verbo Veteres utuntur de iis, quorum praesentia molesta est. Liv. I. 35. *sub tempus pueros venatum ablegavit.* Iustin. I. 5. *ut ablegatus in Persas ab avo fuerit,* ubi vid. Gronovius.

## ACT. III. SC. IV.

1. *Iter* dicitur de navigatione. Ovid. Epist. XXI. 78. *Et facere ignava puppe videbar iter.* Sic *ire* pro navigare. Virg. Aen. IV. 310. *Et mediis properes aquilonibus ire per altum.*

3. *Tantum quam* dicitur pro *tantum quantum.* Liv. XXXVII. 51. *non tantum gaudium ab recenti metu adtulerunt, quam averterunt famam.* Lucan. IX. 766. *sed quam non ulla cruentae Tantum mortis habet.* Vid. Gronovius in Diatr. Stat. c. 57. et ad Liv. XXVI. 1. 3.

17. *In arcem* nempe Athenarum; ubi hospes ille videtur Minervae sacra fecisse et vota post navigationem solvisse.

20. *Vovisse hunc dicam.* Alludit ad morem veterum, qui mare ingredientes aliquid Diis vovebant, quod post felicem reditum solverent. Vid. Donatus ad h. l.

21. *Rumpere aliquem ambulando* significat currendo ita aliquem fatigare, ut prope rumpatur, ut deficiat. Plaut. Captiv. prol. v. 14. *Ego me tua causa, ne erres, non rupturus sum.*

27. *Cadaverosam faciem* ita describit Seneca Epist. 122. *ita istorum corpora, qui se tenebris dicaverunt, foeda visuntur. Quippe non speciosior illis, quam morbo pallentibus, color est: languidi et evanidi albent et in vivis caro morticina est.* Vid. Gesnerum in Thes. L. L. h. v.

32. *Suae gnatae partum.* Haec per appositionem, quam vocant, dicuntur.

## ACT. III. SC. V.

4. *Viam persequi.* Translatio sumta est a viatoribus, qui ab itinere non deflectunt. *Viam sequi* metaphorice dicit Cic. Catil. IV. 5.

8. *Admodum* est assentiendi particula, qua Comici et qui dialogos scribunt, in responsionibus utuntur. Phorm. II. 2, 1. *ais conspectum veritum hinc abisse? admodum.* Cic. de Leg. III. 11. *scis solere, frater, in huiusmodi sermone, ut transiri alio possit, admodum dici,* quem locum male sollicitavit Davisius.

10. *Haud multum heredem iuvant* i. e. non valde augent lucrum heredis; *multum* est valde. Nepos Con. c. 2. *hic multum ducem summum Agesilaum impedivit.* Sallust. Catil. c. 27. *eum suis consiliis multum obficere.*

11. *Vixit bene* i. e. laute et delicate cuticulam curavit; contra *male vivere* est misere vivere. Vid. not. ad Eun. V. 8. 44.

13. *Quicquid est id.* Sic Veteres rem extenuare solebant. Plaut. Rud. prol. v. 58. *Quicquid erat, noctu in navem comportat domo.* Petron. c. 99. *ego cum Gitone quicquid erat in altum compono,* ubi vid. Burmannus.

17. *Fodere* scil. latus, quod faciunt, qui alterum alicuius rei admonere volunt. Horat. Epist. I. 6. 50. *mercemur servum, qui dictet nomina, laevum qui fodicet latus,* ubi vid. Lambinus.

27. *Quando sese indignam deputat, matri meae quae concedat* h. e. quando putat, a se non deberi postulari, ut matri meae concedat. Nam pro *cui* omnino legendum *quae.* Vid.

Gronovius Obss. III. 8. Bentleius ad h. l. et notata ad Eun. V. 2. 26.

31. *Suadere* et *persuadere* interdum cum accusat. construuntur, ut exemplis docet Burmann. ad Phaedr. I. 15. 6. Sed hic melius est *me* cum infinitivo *sequi* iungere: *nunc pietas mihi suadet, me matris potius commodum sequi.*

Ibid. *Commodum sequi* i. e. ut v. 45. loquitur, se matris commodis servire. Cic. in Verr. I. c. 7. *non existimationem populi Romani sequentur.*

32. *Sermo accessit.* Recte e mss. emendavit Palmerius *ad aures sermo mihi accidit tuus.* Haec enim est legitima loquendi forma. Rutil. Lup. I. p. 58. *id vehementer iucundum auribus accidere consuevit*, ubi vid. quae notavimus.

34. *Insistas* i. e. propositum prosequaris.

39. *Miro ingenio* i. e. mirifico, singulari. Virg. Aen. VII. 57. *Adiungi generum miro properabat amore.*

44. *Non est consilium* h. e. non est animus, non est propositum. Plaut. Mil. II. 3. 73. *Consilium est ita facere.* Sallust. Catil. c. 4. *non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere*, ubi vid. Cortium.

52. *Renumeret* h. e. reddat, restituat. Sic *numerare* dicitur pro solvere. Adelph. III. 3. 52. *Nam ut numerabatur forte argentum.* Cic. Tusc. Disp. V. 32. *cum postridie rogarent eum, cui numerari iuberet.* De lege Attica, qua maritus, qui uxorem dimisisset, dotem reddere cogebatur, vid. Petit. ad Leges Atticas p. 556.

53. *Proterve* i. e. immoderate et superbe. Vid. Donat. ad h. l.

54. *Percontumax* i. e. contemtor potiorum, ut bene Donatus ad h. l.

55. *Decedet ira* i. e. abscedet, ut loquitur infra V. 2. 15. Curtius VIII. 2. *postquam ira mente decesserat.* Sic cura, sollicitudo, timor, invidia *decedere* dicuntur. Vid. Interpretes ad Liv. IV. 52. *ubi hae sollicitudines discessere.* *Cadit ira* est apud Lucan. IV. 284.

57. *Sublati animi sunt* i. e. superbiores et insolentiores facti estis. Liv. III. 62. *animos peditum accendunt.* Iustin. I. 4. *ne paterna materuaque nobilitas nepoti animos extolleret.* *Animi* plurali numero saepe dicuntur de superbia, ferocia, audacia. Vid. Gronovius ad Liv. XXII. 25. 1. et Drakenb. ad eund. II. 27. 12.

59. *Ut alii sit* i. e. ut alius eam uxorem habeat.

## ACT. IV. SC. I.

4. *Clam habuisse* i. e. celasse. Infra IV. 4. 35. *non clam me haberet, quod celasse intelligo.*

9. *Vir* pro marito ponitur. Sallust. Catil. c. 25. *mulier viro et liberis satis fortunata*, ubi vid. Cortius. Sic *mulier* pro uxore. Lactant. I. 17. *virgo fuit primo, postea mulier.*

16. *Cum recte pepererit* h. e. cum partum ediderit perfectum, non monstrosum.

17. *Praeoptares potius.* Poterat omitti *potius*, sed saepe eleganter abundat. Cic. in Pison. c. 7. *huic populo ita fuerat ante vos consules libertas insita, ut emori potius, quam servire praestaret.* Idem ad Div. XV. 5. *casum potius quam te laudari mavis.*

22. *Generum cepimus* h. e. elegimus. Virgil. Georg. II. 230. *Ante locum capies oculis.* Vid. Drakenb. ad Liv. VI. 28. 5.

28. *Iam aderit, se quoque etiam cum oderit;* intelligendum *tempus*, ut Andr. I. 1. 125. *prope adest, cum alieno more vivendum est mihi.* Vid. Bentleius ad h. l. Notandum vero *etiam* et *quoque* iungi. Cic. de N. D. I. 22. *non enim poeta solum suavis verum etiam caetera quoque doctus.* Plin. Epist. X. 97. *non nemo etiam ante viginti quoque*, ubi vid. Cortius. Infra V. 1. 7. *ego quoque etiam timida sum.* Ceterum Terentium imitatus est Quinctil. Declam. XVII. p. 343. *hominis unus exitus est ut se oderit.* Simile illud Heaut. V. 4. 20. *eheu, quam ego nunc totus mihi displiceo.*

33. *Si ex usu esset nostro* pro si nobis utile esset. Heaut. I. 2. 36. *Scitum est, periclum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.*

41. *Satis firmum* i. e. satis constantem. Sic *firmae nuptiae* supra I. 2. 26. Ridicule Donatus *firmam* exponit, quem res venereae non moveant.

48. *Ne extulisse velis* h. e. ne efferas. Veteris elegantiae est haec periphrasis cum verbo *velle*. Cato de R. R. c. 5. *Villicus ne quid emisse velit insciente domino, neu quid dominum celavisse velit*. Lucret. II. 640. *ut armis Ac virtute velint patriam defendere terram* i. e. ut defendant. Ovid. Met. II. 745. *tu tantum fida sorori esse velis*. Vid. Gudium aliosque Interpretes ad Phaedr. I. 29. 6.

57. *Quita est* antique pro *quivit*. Sallust. Iug. c. 31. *quicquid sine sanguine civium ulcisci nequitur*.

## ACT. IV. SC. II.

5. *Teque antequam me amare rebar* etc. Hunc locum, e quo nullus sensus elici poterat, antiquorum librorum ope sic restituit Bentleius: *Teque ante quod me amare rebar, ei rei firmasti fidem*. Ordo est: quodque ante rebar, te me amare, ei rei fidem firmasti. De locutione *firmare fidem* vid. notat. ad Andr. III. 1. 4.

6. *Habueris praepositam* i. e. praeposueris. Sallust. Catil. c. 23. *tale periculum reipublicae haud occultum habuit*, ubi vid. Interpretes. Cic. ad Quint. fratr. III. 9. *quod me hortaris ut absolvam, habeo absolutum suave, mihi quidem uti videtur, ἔπος ad Caesarem*. Eun. II. 3. 92. *illis crucibus, quae nos nostramque adolescentiam habent despicatam, referam gratiam*.

8. *Praemium* propria ratione *poni* et *proponi* dicitur. Sallust. Catil. c. 20. *fortuna omnia victoribus praemia posuit*. Virg. Aen. V. 292. *invitat pretiis animos et praemia ponit*. Vid. Drakenb. ad Liv. XXXIX. 17. 1.

18. *Perfuncta satis sum* i. e. satis usa sum. S. Sulpicius ad Cic. IV. 5. *omnibus bonis prope perfunctum esse*.

19. *Studia* dicuntur omnia, in quibus versamur et quibus delectamur. Vid. notata ad And. I. 1. 29.

20. *Longinquitas aetatis* i. e. diuturnitas. *Longinquus* et *longinquitas* non tantum de loci, sed etiam de temporis spatio

dicitur. Propert. I. 6. 27. *multi longinquo periere in amore libenter*, ubi vid. Broukhusius. Liv. V. 15. *iam per longinquitatem belli commercio sermonum facto*. Vid. Gronov. Obss. IV. 11. Uti *longinquus* pro longus, ita *longus* interdum ponitur pro longinquus. Sil. Ital. VI. 628. *remeans longis olim Tirynthius oris*, ubi vid. Drakenborch.

22. *Causas praecidam* i. e. tollam, adimam. Cic. in Verr. I. c. 7. *ut una hora, qua coepi dicere, reo audaci spem iudicii corrumpendi praeciderem*. Id. in Verr. II. 62. *Da mihi hoc; iam tibi maximam partem defensionis praecideris*.

24. *Quod* ponitur pro *ob quod, propter quod*, ut alibi saepe apud Terentium. Respicit autem, quod supra II. 1. 4. dictum erat *omnes socrus oderunt nurus*.

25. *Absque una haec foret* i. e. si haec una res abesset. Phorm. I. 4. 11. *nam absque eo esset*. Haec loquendi forma non nisi apud Comicos reperitur. Ipsa etiam praepositione *absque* Comici soli utuntur, quae non directe apud eos *sine* significat, sed tantum exceptionem quandam. Vid. Vorstium de Latinit. merito suspecta c. 9.

## ACT. IV. SC. III.

1. *Procul hinc stans*. Bentleius recte edidit *procul hinc astans*. Nam *procul* non semper longum spatium significat, sed remotionem ex alio loco in alium. Itaque recte *procul esse* dicitur, qui tam prope adest, ut alterius sermonem audire possit. Vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. I. 16. p. 153.

4. *Fors fuat* i. e. fortuna adsit, faveat. Antiquissimi scriptores saepe usi sunt verbo *fuo* pro *sum*, ex graeco φύω vel φῦμι, unde supersunt *fui* et *futurus*. Virgil. Aen. X. 108. *Tros Rutulusve fuat*.

5. *Componere*, proprium hac in re verbum, significat constipare, colligere in unum. Plaut. Mil. IV. 7. 21. *omnia composita sunt; quae donavi ut ferat*. Petron. c. 99. *quicquid erat in altum compono*. Vid. Broukhusius ad Propert I. 9. 13.

6. *Dixi* hic habet vim asseverandi, omnino ita futurum, ut dixerat et vim interminandi. Phorm. II. 3. 90. *nisi tu properas mulierem abducere, ego illam eiiciam; dixi, Phormio.*

9. *Contineo* scil. me. Sed Bentleius e melioribus libris edidit *contineor*, quod praeferendum.

10. *Non minuam consilium* h. e. consilium quod cepi, non mutabo. Vid. not. ad Andr. II. 3. 18.

Ibid. *Persequar* i. e. sequar, compositum pro simplici. Cic. ad Div. IX. 3. *neglecta barbarorum inscitia, te persequar;* Idem de Off. II. 24. *haec genera officiorum qui persequuntur,* ubi vid. Graevius.

14. *Nos fabulae sumus* i. e. nos nullo numero sumus. Veteres tum homines tum res contemtus causa promiscue *fabulas* et *nugas* dicunt. Cic. ad Attic. VI. 3. *amicos habet meras nugas.* Id. ad Quint. fratr. I. 2. *ego nugas maximas omni mea comitate sum complexus.* Horat. Carm. I. 4. 16. *iam te premet nox, fabulaeque manes.*

## ACT. IV. SC. IV.

3. *De hac re* i. e. quod ad hanc rem attinet; eam vim praepositionis *de* supra explicuimus.

6. *Operiam* i. e. celem; in aliis editionibus nullo sensu legitur *aperiam.* Vid. Bentleius ad h. l.

11. *Mutatio fit.* Sunt verba Pamphili, quae aversus a senibus loquitur. Vid. Bentleius ad h. l.

12. *Turbent* h. e. litigent, tumultuentur. Virgil. Ecl. I. 12. *usque adeo turbatur agris.* Bentleius corrigit *turbet,* scilicet Myrrhina, quae lectio melius respondet verbis *ea nos perturbat.*

Ibid. *Quam velint* i. e. quantum velint. Cic. de N. D. II. 17. *hic quam volet Epicurus iocetur.* Idem pro Coel. c. 26. *quam velit, sit potens.*

22. *Moratam moribus* i. e. praeditam. *Moratus* in utramque partem dicitur de eo, qui vel bonis vel malis moribus praeditus est. Liv. XXVI. 22. *multitudinem melius moratam.*

Idem XLV. 23. *si hoc in hac tam bene morata civitate accidere potuit.*

25. *Non tibi illud factum.* Nullus in his verbis sensus est. Bentleius ex vi sententiae emendat *non mihi illud factum minus dolet quam tibi.* Par locus est supra IV. 2. 30. *haec res non minus me male habet, quam te.*

27. *Consequitur alienus puer.* Translatio, ut Donatus ait, sumta est a pecudibus, quae simul atque natae sunt, matres sequuntur. Horat. Carm. I. 23. 11. *tandem desine matrem tempestiva sequi viro.*

43. *Remissam* etc. Hunc versum Faernus et Bentleius ex veteribus libris ita restituerunt: *remissan opus sit vobis reductan domum* i. e. utrum vobis utile esse putetis illam remitti ad me, an reduci domum. *Ne ne* ponitur pro *ne an.* Tibull. IV. 5. 20. *quid refert clamne palamne roget? Opus esse* dicitur, e quo utilitas ad nos redit. Cic. de Orat. II. 10. *etiamsi opus est, tamen minus est necessarium.* Vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. IV. 15. p. 793.

54. *Sollicitere* i. e. commoveare, perturberis. Vid. Donatus ad h. l.

61. *Animum ut adiungas.* Meliores libri habent *animum ut adducas.* Infra V. 3. 38. *nunquam animum quaesti gratia ad malas adducam partes.* Vid. Bentleius ad h. l.

64. *Oravi tecum* antique dixit pro *oravi te,* ut Plaut. Rud. III. 4. 68. *Scin, quid? tecum oro senex,* aliisque locis.

69. *In eandem vitam revolutum esse* i. i. rediisse, cecidisse. Cic. ad Attic. XIII. 26. *revolvor identidem in Tusculanum.*

74. *Plane* i. e. omnino. Plaut. Epid. IV. 1. 14. *Plane hic ille est, qui mihi in Epidauro primus pudicitiam pepulit.* Petron. c. 41. *Plane hoc servus tuus indicare potest,* ubi vid. Burmannus.

Ibid. *Divinare* plerumque est futura praedicere, ut vates, qui inde *divini* dicuntur. Cic. ad Attic. X. 4. *me de republica nunquam nisi divine cogitasse,* ubi vid. Graevius. Aliquando

etiam dicitur de re praeterita, valetque verum dicere, rem acu tangere.

78. *De matre videro.* Hoc loquendi modo significamus, nondum nobis constitutum ac certum esse, quid aliqua de re sentiamus.

80. *Concludit* i. e. premit, urget. Quinctil. Declam. XIV. p. 298. *exasperavit ira, dolore conclusit*, ubi vid. Schulting.

88. *Amarae sunt* i. e. irascuntur, infensae sunt. Seneca de Ira I. 4. *quaedam irae in verborum maledictorumque amaritudinem effusae.*

98. *Verbis meis* i. e. nomine meo. Cic. ad Div. IX. 6. *Caninius me tuis verbis admonuit.* Vid. Cortius ad Sallust. in Iug. c. 21.

101. *Manere* i. e. firmam, perpetuam esse; nam *manere* significat perseverantiam. Virg. Aen. I. 26. *manet alta mente repostum iudicium Paridis.*

## ACT. V. SC. I.

1. *De nihilo* i. e. sine causa. Propert. II. 13. 52. *nec sic de nihilo fulminis ira cadit.* Liv. XXX. 29. *Hannibal maxime hostis fiducia, quae non de nihilo profecto concepta est, perculsus.*

4. *Ne quid plus faciam* i. e. ne durius cum ea agam, quod post me fecisse poeniteat.

8. *Mores facile tutor* i. e. mores mei sunt eiusmodi, ut facile eos defendere possim, in moribus meis nihil reprehendi potest.

10. *Ut non siet peccato ignosci aequum.* In hoc loco explicando Donatus et alii multum tricantur. *Peccato* per ablativum, quem Grammatici absolutum vocant, dicitur: cum peccatum fuerit. Simillima est ratio Cic. Agrar. II. 2. *cui, errato, nulla venia, recte facto, exigua laus proponitur.* Vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. IV. 4. p. 619.

11. *Magis* saepe per pleonasmum iungitur comparativo. Virgil. in Cul. v. 78. *quis magis optato queat esse beatior aevo,* ubi vid. Scaliger. Liv. IX. 7. *tristior ignominio-*

*sae pacis magis quam periculi nuncius fuit*, ubi vid. Drakenborch.

13. *Inscitum* i. e. stolidum.

14. *Est magna gratia.* Ordo hic est; est quod habeam tibi magnam gratiam de hac re. Vid. Bentleius ad h. l.

19. *Quaere alium tibi firmiorem.* Hoc formulae speciem habet. Phorm. II. 1. 67. *quaereret alium virum.* Petron. c. 79. *alium locum quem polluas quaere*, ubi vid. Burmann.

24. *Sanctius* i. e. religiosius. Liv. X. 23. *ut haec ara, quam illa, si quid potest, sanctius et a castioribus coli dicatur*, ubi vid. Drakenborch. Infra V. 2. 5. *deiera persancte.*

25. *Me segregatum habuisse* i. e. me segregasse: quam loquendi formulam paulo ante explicuimus.

29. *Alia ex hoc quaestu* i. e. alia ex illarum numero, quae quaestum corpore faciunt, sive alia meretrix. Elegans vis est praepositionis *ex*. Cic. pro Mur. c. 36. *fuit eodem ex studio vir eruditus*, ubi vid. Graevius. Petron. c. 83. *eum ex hac nota litteratorum esse, quos odisse divites solent.*

32. *Levis* et *levitas* dicuntur de omnibus vehementibus et inanibus cupiditatibus, propterea quod in illis nulla est constantia, nulla gravitas. Vid. Ernest. in Clave Cic. s. v. *levitas.*

38. *Ne aegre quicquam ex me audias* i. e. ne quicquam audias, quod aegre tibi sit.

## ACT. V. SC. II.

2. *Benigne praebeatur* i. e. large. Vid. Horat. Carm. I. 17. 15. *copia manabit ad plenum benigno cornu*, et ibi Lambin. Contra *maligne* est parce.

3. *Cum ebria eris* h. e. cum ad satietatem usque biberis. *Ebrietas* non semper de temulentia dicitur, sed etiam de eo, quod multum vel nimium est. Plaut. Captiv. I. 1. 35. *unde saturitate saepe ego exii ebrius.*

5. *Deierat persancte* i. e. religiosissime. Sueton. Tit. c. 10. *persancte Domitia iurabat.*

7. *Ancillas dedo* scil. quaestioni.

9. *Non poenitet me famae* i. e. contenta ero fama mea, satis magnum nomen mihi paravero. Hoc loquendi genus supra illustravimus.

12. *Hanc experiamur* i. e. utamur opera eius, ut bene explicat Donatus. Plaut. Mercat. IV. 4. 29. *vin me experiri.*

13. *Crimini falso.* Meliores libri recte omittunt *falso.* Nam *crimen* per se habet notionem falsi. Vid. Donatus et Bentleius ad h. l. Ponitur enim *crimen* pro criminatione. Nepos Epam. c. 7. *cum criminibus adversariorum omnes in invidiam venissent.* Vid. Drakenb. ad Liv. VI. 15. 7.

17. *Quod satis sit* scil. ad purgationem.

27. *Pudet Philumenae* i. e. pudet, me conspici a Philumena.

28. *Quid est quod mihi malim, quam quod huic intelligo evenire.* Sensus loci hic est: Idem mihi evenire velim, quod Bacchidi evenit, ut amicos mihi comparem sine damno meo, et simul aliis prosim. Si haec ita capiantur, nescio an opus sit Bentleii correctione.

31. *Nobilitatem* i. e. famam. Cic. pro Arch. c. 11. *in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari de se ac nominari volunt.* Nep. Thrasyb. c. 1. *cum eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate praecucurrerunt.*

Ibid. *Res* est utilitas, sicut dicimus *est e re mea, est in rem meam. Nasci* est existere.

## ACT. V. SC. III.

2. *Desedi* i. e. otiosus fui, nihil egi. Plaut. Pseud. IV. 4. 7. *Quid tu intus, quaeso, desedisti?* Cic. in Pison. c. 5. *an potest ulla esse excusatio, non dicam male sentienti, sed sedenti, cunctanti, dormienti in maximo reipublicae motu consuli.* Vid. Graevius Lect. Hesiod. c. 12. p. 61.

13. *Etiam.* Hac particula Veteres utuntur, cum illis aliquid praeter illa, quae dixerunt, derepente in mentem venit. Cic. ad Quint. fratr. I. 3. *quid praeterea? quid? etiam.* Id. ad

Attic. I. 13. *novi tibi quidnam scribam? quid? etiam*, ubi vid. Manutius.

24. *Nocte prima* i. e. prima parte noctis, ut supra explicuimus.

27. *Es exanimatus* i. e. anhelas, commotus es, ut vix respirare possis. *Anima* saepe dicitur anhelitus. Vid. not. ad Adelph. III. 2. 26. Andr. I. 4. 7. *Pamphilum exanimatum video.* Caes. B. G. II. 23. *cursu ac lassitudine exanimatos*, ubi vid. Davisius.

31. *Luctat* antique pro *luctatur.* Sic alibi *relucto* pro *reluctor.* Vid. Rivius ad h. l. et Vossius de Anal. III. 7. p. 283.

## ACT. V. SC. IV.

1. *Vide etiam* idem valet, quod apud Ciceronem *vide etiam atque etiam* i. e. valde, magnopere. Plaut. Mostell. II. 2. 43. *Circumspice etiam.*

Ibid. *Certa et clara.* Haec verba ex formula iunguntur. Horat. Serm. II. 6. 27. *Postmodo, quod mihi obsit clare certumque locuto luctandum in turba et facienda iniuria tardis.* Liv. XXII. 39. *omnia non properanti clara certaque erunt.* Vid. Gronov. ad Senec. de morte Claudii c. 1. et ad Liv. I. 18. 9.

2. *Ne me in breve* etc. Insolens loquendi ratio *coniicere aliquem in breve tempus.* Bentleius legit *ne me in breve pellicias tempus gaudio hoc falso frui*, sed ne haec quidem coniectura difficultatem pellit. Infinitivus *frui* ponitur pro *ad fruendum*, ut supra III. 2. 10. *introiit videre.* Vid. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 6. p. 673.

3. *Deus sum* i. e. felix, beatus sum. Vid. notat. ad Andr. V. 5. 4.

7. *Eaque iussit.* Notanda est orationis infinitae in finitam mutatio, optimis quibusque scriptoribus usurpata. Oratio pendet a verbo *dixisse.*

8. *Venustatis plenior* i. e. felicior. *Venustatem* exquisite pro felicitate dici ad Andr. I. 5. 10. ostendimus.

12. *Ab orco* etc. h. e. qui me e summis angustiis eripueris. Idem proverbium est apud Ovid. Trist. V. 9. 19. *semi-*

*necem stygia revocasti solus ab unda.* Similiter Florus II. 6. *interim respirare Romanus et quasi ab inferis emergere,* ubi vid. quos laudat Dukerus.

17. *Factis* i. e. re ipsa. Plaut. Bacchid. IV. 4. 53. *quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis probo?*

18. *Venustatem* i. e. elegantiam morum. Cic. pro Arch. c. 12. *quem amicorum videtis comprobari tum dignitate tum etiam venustate.*

19. *Obitus* est quem casus offert, *adventus* quem voluntas. Sic distinguit Donatus. Sic *obire* apud Lucret. I. 223. *donec vis obiit, quae res diverberet icta,* et 248. *vis obeat pro textura cuiusque reperta,* ubi vid. Lambinus.

20. *Morem antiquum atque ingenium obtines.* In his pleonasmum notat Rufinianus de Schemat. iunctus Rutilio Lupo p. 257.

25. *Neque opus est adeo muttito* i. e. ne tenui quidem dicto opus est, ut bene Donatus. *Muttire* quid sit, ad Andr. III. 2. 25. explicuimus.

27. *Quos par fuerat resciscere* i. e. quorum intererat resciscere.

38. *An temere quicquam Parmeno praetereat.* Duplex huius loci scriptura est, unde duplex etiam sensus nascitur. Si legatur *an temere quicquam Parmenonem praetereat,* sensus est: an Parmeno aliquid ignoret, an Parmenoni aliquid occultum sit. Cic. ad Div. I. 8. *sed te non praeterit quam sit difficile.* Columella in Praef. l. I. de Re Rust. *non me praeterit.* Sin legatur *an temere quicquam Parmeno praetereat,* sensus est: an Parmeno quicquam omittat, quod utile factu sit. Sed quocunque modo legatur, hic versus nec Parmenoni nec Pamphilo tribuendus est, sed Bacchidi, quae et ipsa Parmenonem ridet. Vid. Bentleius ad h. l.

---

# IN PHORMIONIS

## PROLOGUM.

2. *Retrahere a studio* h. e. revocare. Cic. pro Sext. c. 15. *cum duo consules a republica provinciarum foedere retraxisset.* Vid. Graevius ad Auct. ad Herenn. III. 7.

Ibid. *Transdere hominem in otium* h. e. efficere, ut se tradat otio, abiecto studio fabularum scribendarum. *Transdere* ut sonantius Veteres dicebant pro tradere. Sic *transducere* pro traducere, *transnare* pro tranare, *transiicere* pro traiicere. Vid. Rivius ad h. l. et Cortius ad Sallust. Iug. c. 11.

7. *Videre* h. e. putare per insaniam se videre. Plaut. Stich. II. 1. 50. *quas tu vides colubras.* Virgil. Aen. IV. 469. *Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus.* Sic Longin. de Sublim. Sect. XV. *εἶδεν ἐριννύας.*

11. *Minus multo audacter.* Nonnullae editiones habent *minus multo audaciter.* Sed certior lectio haec est *minus multo audacter, quam nunc laedit, laederet.* Duker. ad Liv. XXII. 25. 10. Sequens versus *et magis placerent quas fecisset fabulas* huc inculcatus est ex Andr. prol. v. 3., quem Bentleius merito eiecit.

17. *In medio omnibus palmam esse positam* i. e. omnibus licere de victoria contendere. Plin. Panegyr. c. 88. *Iustisne de causis S. P. Q. R. optimi tibi cognomen adiecit? Paratum id quidem et in medio positum, novum tamen* ubi vid. Schwarzius. Senec. Thyest. v. 203. *in medio est scelus positum occupanti.* Solebant autem certaminis praemia ante omnium oculos proponi. Virgil. Aen. V. 109. *munera principio ante oculos circoque locantur In medio.*

26. *Epidicazomenon.* Bentleius verissime emendat *Epidicazomenen.* Ἐπίδικος a Graecis dicitur virgo orba, de qua lis est, cui debeat in matrimonium locari; vid. Harpocrat. in h. v.; ἐπιδικαζομένη virgo, de qua iudicium factum est.

30. *Voluntas* i. e. favor. Cic. ad Div. IV. 13. *accedit eodem vulgi voluntas vel potius consensus omnium.* Nep. Thrasyb. c. 4. *quae et mei animi aequitatem et vestram voluntatem indicent.*

33. *Motus loco est* i. e. expulsus, eiectus. Sic Cicero dicit *moveri possessionibus, moveri ex agro.* Vid. Duker. ad Flor. III. 14. p. 560.

## ACT. I. SC. I.

7. *Comparatum est* i. e. institutum est. Cic. pro Rosc. Am. c. 36. *more maiorum comparatum est, ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent.* Idem pro Quint. c. 16. *praetores, ut considerate fieret, comparaverunt.*

8. *Addant* pro dent. Virg. Aen. V. 249. *ipsis praecipuos ductoribus addit honores.*

9. *Unciatim* i. e. per uncias atque adeo per minimas partes et summulas.

Ibid. *Demensum*, subintellecta voce *frumentum*, est certus modus frumenti, quod domini servis singulis mensibus admetiebantur. Vid. Rivius in h. l.; ἀρμαλιήν vocat Hesiodus in Ἔργ. v. 560.

10. *Defrudans.* Sic antiquo more e mss. scribendum, non *defraudans. Fraudare* et *defraudare* proprie est per fraudem privare, sed saepe simpliciter dicitur pro privare. Veteres quoties hilarius et lautius se excipiebant, toties putabant se genium placare, curare, genio indulgere. Vid. Casaubon. ad Pers. Sat. V. 151. Contra qui parcius vivebant, nunquam hilaritati indulgebant, se genium defraudare existimabant. Plaut. Aulul. IV. 9. 14. *egomet me defraudavi animumque meum geniumque meum.* Terentium imitatur Livius II. 10. *in magna inopia pro domesticis copiis unusquisque ei*

*aliquid, fraudans se ipse victu suo, contulit.* Id. V. 47. *quum se quisque victu suo fraudans, detractum corpori atque usibus necessariis ad honorem unius viri conferret.*

Ibid. *Comparsit miser;* nempe ut peculium faceret, quod saepe servi pro libertate dominis numerabant. Seneca Epist. 80. *mancipia quoque omni modo exuere conantur servitutem. Peculium, suum, quod comparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant.* Vid. Lipsius ad Tacit. Annal. XIV. 42. Interpretes ad Ovid. Amor. I. 8. 63. et ad Petron. c. 75. p. 373.

13. *Ferietur* i. e. mulctabitur. Translatio ducta est de ludo gladiatorio. Vid. Broukhus. ad Propert. IV. 5. 44.

15. *Initiabunt* scil. cibo et potu. Insignis Varronis locus, quem Donatus respicit, est apud Non. Marcell. p. 108. *cum primo cibo et potione initiarent pueros, sacrificabantur ab edulibus Edusae, a potione Potinae.* Sed potest etiam post *initiabunt* intelligi *sacris.* Nam Athenienses liberos Cereri initiabant, quod ut in fabula palliata magis probat Donatus.

## ACT. I. SC. II.

2. *Conabar* scil. ire. *Conari* saepe absolute ponitur. Valer. Flacc. IV. 371. *Ignotas iubet ire vias; heu multa morantem Conantemque preces inclusaque pectore verba*, ubi vid. Burmannus.

12. *Hanc operam tibi dico* scil. auscultandi. Plaut. Bacchid. IV. 9. 72. *aurium operam tibi dico.* Idem est *operam dare alicui.* Plaut. Mil. IV. 1. 7. *Immo omnes res posteriores pono atque operam do tibi: loquere.* Vid. Servium ad Virg. Aen. I. 73.

18. *Modo non* i. e. propemodum, fere. Alii scriptores dicunt *tantum non.* Plin. Paneg. c. 23. *gratum quod tantum non ultro clientibus salutatis quasdam familiaritatis notas adderes*, ubi vid. Schwarzius.

Ibid. *Montes* et *maria* proverbialiter de magnitudine et multitudine dicuntur. Sallust. Catil. c. 23. *repente glorians maria montesque polliceri coepit*, ubi vid. Cortium.

22. *Magistrum;* infra II. 1. 4. vocat *monitorem.*

26. *Scapulas perdidi* i. e. plagis mulctatus sum. Plaut. Epidic. I. 1. 84. *corium perdidi.* Serviles autem plagae maxime scapulis imponebantur. Plaut. Cas. V. 3. 14. *salus nulla est scapulis, si domum redeo.*

28. *Advorsum stimulum calces;* suppl. verbum *ducere* vel *iactare.* Proverbium dicitur de iis, qui ita repugnant, ut maius, inde malum reportent. Translatum est a bobus, mulis aliisque animalibus, acuto stilo regi solitis, quae si calcem reiiciant, semet ipsa gravius laedunt. Plaut. Trucul. IV. 2. 55. *si stimulos pugnis caedis, manibus plus dolet.*

29. *Uti foro* h. e. utcunque se fortuna obtulerit, ita rationes tuas comparare, vel, ut Cicero loquitur, tempori servire. Donatus bene docet, metaphoram ductam esse de mercatoribus, qui merces vendunt, non quanti volunt, sed pretio, quod in foro constitutum deprehendunt.

35. *Oculos pascere* i. e. oculos oblectare aspiciendo. Lucret. II. 419. *oculos qui pascere possunt*, ubi vid. Lambinus. Cic. Philipp. XI. 3. *cum animum satiare non posset, oculos pavit suos.* Sueton. Vitell. c. 14. *ex quibus quendam coram interfici iussit, velle se dicens pascere oculos.*

38. *Ex adverso.* In aliis editionibus est *exadversum.* Burmanno ad Sueton. Tiber. c. 33. rectius videtur *ex adverso* divisim scriptum, in quo intelligatur *loco* vel simile quid. Sed *exadversum* tuetur Oudendorp. ad Sueton. Caes. c. 39.

47. *Sita erat* h. e. cadaver eius positum erat. *Situs* tanquam domicilium habet in re funebri.

56. *Virgo ipsa horrida* i. e. virgo tota vel omnino horrida. *Ipse* de personis rarius sic dicitur, frequentius de tempore. Cic. ad Div. V. 21. *solitudinem iucundiorem non esse, qua tamen ipsa uti non licet.* Idem in Brut. c. 15. *mortuus est annis octoginta tribus ipsis ante me consulem.*

57. *Vis boni* i. e. excellentia, praestantia pulcritudinis ut *vis aeris* pro magno aere, *vis saxorum* pro multis saxis. *Bonum* est pulcritudo. Catull. XV. 10. *infesto pueris bonis malisque.* Horat. Carm. IV. 1. 3. *qualis eram bonae sub regno Cinarae.* Ovid. Amor. III. 2. 27. *Invida vestis eras, quae tam*

*bona crura tegebas.* Ut *bonus* formosus, sic *malus* est deformis, ut ex Catulli exemplo apparet.

64. *Neque eum aequum ait facere* h. e. et ait eum non facere aequum. Sic saepe dissolvendum *nec* vel *neque.*

65. *Si uxorem velit lege id licere facere.* Perrenonius Animadv. I. 9. interpungit post vocem *lege*, ut iungatur *uxor lege*, quemadmodum apud Graecos γαμετὴ νόμῳ; quam distinctionem probat Burmannus ad Calpurnii Flacci Declam. XXIII. p. 820. Sed ad sensum nihil refert, utro modo interpungatur.

69. *Si rediisset* h. e. cum rediisset. Nam *si* interdum tempus significat, non conditionem. Plaut. Capt. II. 2. 1. *Iam ego revertor intro, si ex his quae volo exquisivero.* Horat. Epist. I. 7. 10. *quod si bruma nives Albanis illinet agris, Ad mare descendet vates tuus*, ubi vid. Lambinus. *Rediisset* ponitur pro *redierit*, quae temporum mutatio frequens est. Vid. Bentleius ad Horat. Serm. II. 3. 93. *ut si forte minus locuples uno quadrante perisset, Ipse videretur sibi nequior.*

73. *Qui illum Dii omnes perduint.* In hac imprecandi formula, Comicis propria, *qui* ponitur pro utinam. Plaut. Menaech. III. 1. 6. *Qui illum Dii omnes perduint!* et ibi Gronovius. Imitatus est Cic. ad Attic. IV. 7. *De Apollonio quod scribis, qui illi Dii irati, homini graeco, qui conturbare quidem putat sibi licere.*

77. *Tibi scribam dicam* h. e. te in ius vocabo. Infra II. 2. 15. *en unquam iniuriarum audisti mihi scriptam dicam.* IV. 3. 63. *Sexcentas proinde scribito iam mihi dicas. Dica* est ex graeco δίκη, lis, causa.

81. *Quod erit mihi bonum atque commodum* h. e. quatenus mihi aptum et appositum erit in rem meam. Sic bene exponit Gesnerus in Thes. L. L. v. *commodus.* Donati explicatio a Comici mente est aliena. *Quod* est quoad, quatenus. Vid. notat. ad Eun II. 1. 8.

88. *Fors feret* i. e. fortuna. Cic. ad Attic. VII. 14. *sed haec ut fors tulerit.* Curt. V. 11. *quicquid fors tulisset inter suos perpeti malle, quam transfugam fieri.*

91. *Amitte* pro dimitte. Vid. notat. ad And. V. 3. 27.

94. *Quid paedagogus ille, qui citharistriam* scil. sectatur. Lepide Phaedriam vocat *paedagogum*, quod ille citharistriam in ludum ducebat et reducebat, quod erat munus servorum paedagogorum.

95. *Sic, tenuiter.* Venuste hac particula utuntur de rebus, quae non satis feliciter succedunt. Andr. IV. 5. 9. *sic, ut quimus aiunt.*

97. *Quid.* Bene Donatus annotat, *quid* tum dici, cum fit transitus a mentione alterius rei ad alteram. Vid. Duker. ad Flor. II. 6. p. 298.

100. *Portitores* sunt operae publicanorum, quae in portu sedebant, merces invehendas et evehendas excutiebant et portorium exigebant. Vid. Non. Marcell. p. 24. et Ernest. in Clav. Cic. h. v. Epistolas ad portitores delatas esse patet etiam ex Plaut. Trin. III. 3. 66. *Apud portitorem eas resignatas sibi inspectasque esse.*

101. *Ut bene sit tibi.* Abeuntium formula est. Plaut. Poen. IV. 2. 90. *valeas beneque ut tibi sit.* Vid. Brissonium de Formul. I. p. 74. Donatus per *ἀντίφρασιν* dictum putat pro *nihil.* Sic *recte* pro *nihil* dici supra vidimus.

## ACT. I. SC. III.

2. *Patrem ut extimescam.* Guyetus delet particulam *ut*, quando iam adest versu praecedente; sed id temere et imperite ab eo factum est. Nam saepe *ut* post quaedam interposita ex abundanti repetitur. Plaut. Bacch. IV. 6. 18. *orabat ut quod istic esset scriptum, ut fieret,* ubi vid. Gronovius. Liv. XLV. 16. *decrevit senatus, ut quoniam perduelles superati essent, ut dona curarent danda.* Vid. Interpretes ad Liv. XXII. 11. 4. Eodem modo aliae particulae interpositis quibusdam geminantur, tanquam *si* apud Liv. III. 19. *si quis vobis humillimus homo de vestra plebe, si quis ex his domum suam obsessam a familia armata nunciaret;* et *cur* apud Cic. de Divin. I. 57. *Quid est igitur, cur, cum domus sit omnium una eaque communis, cumque animi hominum semper fuerint futurique sint,*

*cur ii quid ex quoque eveniat perspicere non possint.* Vid. Duker. ad Flor. II. 6. p. 291.

3. *Quod* cum aliis particulis eleganter iungitur. Caesar B. G. I. 44. *quod nisi discedat, sese illum pro hoste habiturum.* Sallust. Catil. c. 18. *quodni Catilina maturasset,* ubi vid. Cortium. Ita mox apud Terentium *quod utinam.* Cic. ad Div. XIV. 5. *quod utinam minus vitae cupidi fuissemus.* Sallust. Iug. c. 14. *quod utinam illum eadem haec simulantem videam,* ubi plura Cortius. Plerique *quod* in hac formula abundare putant. Manutius ad Cic. l. c. pro *sed* accipit.

9. *Quam mox* eleganter dicitur pro *quam cito.* Cic. pro Rosc. Com. c. 15. *quid exspectas quam mox ego Luscium et Manilium dicam ordine esse senatores.* Liv. XXXIV. 11. *et quam mox signis collatis dimicandum sibi in dies exspectet,* ubi vid. Gronovius.

13. *Frui* proprie in re amorum dicuntur, qui potiuntur eo, quod amant. Vid. Duker. ad Flor. IV. 11. p. 775.

14. *Depacisci* vel *depecisci morte* est talem pactionem inire, ut ne mortem quidem recuses, dummodo rem gratam habere liceat. Cic. ad Attic. IX. 7. *cum enim tot impendeant, cur non honestissimo periculo depecisci velim.* Virg. Aen. XII. 49. *letumque sinas pro laude pacisci.* Poterat etiam Terentius dixisse *depecisci vita,* ut Virg. Aen. V. 230. *vitamque volunt pro laude pacisci.* Nam utrumque eodem redit. Vid. Bentleius ad Horat. Carm. III. 14. 2.

22. *De integro* i. e. de rebus adhuc integris. Hec. I. 2. 5. *alias ut uti possim causa hac integra,* ubi vid. notata.

24. *Ut neque eius sit amittendi.* Notandum *amittendi* poni pro *amittendae.* Nam gerundia in *di* adiunguntur genitivis utriusque generis et numeri. Infra V. 6. 40. de muliere *potestatem eius habendi se dare.* Ovid. Epist. XX. 74. *copia placandae sit modo parva tui.* Vid. Sanct. Minerv. III. 8. p. 457. et ibi Perizonius. Sunt, qui h. l. legant *ut neque mihi ius sit amittendi,* sed vulgatam scripturam bene defendit Servius ad Virg. Aen. XI. 675.

## ACT. I. SC. IV.

2. *Tanta me impendent mala.* Eadem constructione utitur Lucilius apud Festum v. *me*: *ut quae res me impendet, agatur;* qui locus fugit Bentleium scribentem *in me impendent mala,* addita ratione, quod *impendere* nusquam alibi reperiatur nisi aut dativo iunctum aut cum praepositione accusativo. Vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. III. 5. p. 413.

3. *Extraham* i. e. expediam, liberem. Hec. V. 4. 36. *ex quanta aerumna me extraxeris.*

9. *Laterem lavem* i. e. operam perdam; de quo proverbio vid. Erasm. Adagia.

12. *Recte mihi vidissem* h. e. bene mihi providissem. In omni genere *recte* dicitur de rebus ita comparatis, ut debent, ut optamus. Heaut. I. 1. 107. *recte spero.* II. 1. 16. *quod dem ei, recte est.* Plaut. Mostell. III. 3. 23. *cavi recte.* Liv. XXXIV. 35. *si qua ante educta forent, dominis recte restituerentur,* ubi vid. Drakenborch.

13. *Convasare* est vasa sive cuiusvis generis supellectilem colligere et in sarcinam coniicere. Translatio est a re militari, ubi conclamari vasa dicebantur, cum signum dabatur vasorum colligendorum ad castra movenda. Vid. Gronov. Lect. Plaut. p. 265. Mss. quidam legunt *convasissem,* quod Bentleius mutat in *conrasissem,* ut Adelph. II. 2. 34. *minas decem conradet alicunde.* Sed non opus est emendatione.

Ibid. *Protinus.* Bene Bentleius revocat *protinam,* quod veteres Grammatici in hoc loco legerunt. Illa forma Plauto usitata, ut Bacch. III. 1. 7. *me continuo contuli protinam in pedes.*

16. *Exspectamus* cum ea quae speramus, tum quae metuimus futura. Virg. Aen. VI. 614. *inclusi poenam exspectant.* Plin. Panegyr. c. 35. *exspectent paria praemio damna.*

19. *Pro imperio* scil. agis vel loqueris. *Pro imperio agere* dicitur, qui fidenter agit, sine timore, ut solent homines imperio freti. Liv. I. 51. *pro imperio palam interfici non pote-*

*rat.* III. 49. *iam pro imperio Valerius discedere a privato lictores iubebat.*

24. *Si eo meae fortunae redeunt* h. e. si in eas angustias coguntur, rediguntur res meae.

29. *Commeruisse culpam* i. e. contraxisse culpam, ideoque castigationem sive poenam commeruisse. Plaut. Captiv. II. 3. 43. *neque te commeruisse culpam neque me adversatum tibi*; est igitur antecedens pro consequenti.

31. *Cum hoc non possum* scil. facere, ut apud me sim.

35. *Serva* h. e. retine hunc vultum.

36. *Saevis dictis.* Ex Donato et mss. legendum est *saevidicis dictis.*

Ibid. *Protelare* est propellere, perturbare. Sisenna apud Non. Marcell. p. 363. *Romanos impetu suo protelant.* Vid. Duker. de Latinit. Vet. ICtorum p. 331.

43. *Pendens* scil. a trabe. Vid. not. ad Eun. V. 6. 20.

Ibid. *Nisi quid me fefellerit* scil. opinio, quod saepe additur. Cic. pro Domo c. 43. *tantumne te fefellit cum mihi summa et quotidie maiora praemia in republica fore putabas.* Idem ad Div. V. 20. *nisi quid me fallit.*

46. *Aufer mihi oportet* i. e. omitte verbum *oportet.* Infra V. 6. 18. *quin tu hinc pollicitationes aufer.* Horat. Serm. II. 7. 42. *aufer me vultu terrere.* Iuvenal. VI. 170. *tolle tuum precor Hannibalem.* Vid. Burmann. ad Phaedr. III. 6. 8.

52. *In insidiis.* Alii libri habent *in subsidiis*, quod Bentleius praefert. *Subsidia* dicuntur milites, qui primis deficientibus submittuntur. Hinc saepe *subsidiarii* opponuntur primae aciei.

53. *Succenturiatus ero* h. e. tibi deficienti succedam. *Centuriare milites* est in suas classes deferre, *succenturiare* centuriam deficientem explere. Vid. Festum in h. v. et Donat. ad h. l.

## ACT. II. SC. I.

2. *Non simultatem meam revereri* i. e. non veritus est, ne animum meum offenderet.

4. *Monitor* i. e. magister. Horat. A. P. v. 163. *cereus in vitium flecti, monitoribus asper.* Vid. Cortius ad Sall. Iugurth. c. 85.

5. *Demiror* i. e. nescio, quoniam, ut Donatus ait ad Andr. IV. 4. 11., admiratio ab ignorantia descendit. Plaut. Aulul. prol. v. 1. *Ne quis miretur, qui sim, paucis eloquar.* Cic. de Amicit. c. 15. *quanquam miror illa superbia et importunitate si quemquam habere potuit.*

7. *Causam tradere adversariis* idem significat quod *causam prodere* h. e. pati facile se vinci. ICti dicunt *causam adversariis donare* et *praevaricari.* Gronov. Obss. III. 23.

10. *Animum ad cogitandum instituere* h. e. animum componere, ut cogitet quid agendum sit. Bouherius ad Cic. Tusc. Disp. III. 14. e mss. quibusdam legere mavult *instruere;* sed bene habet lectio vulgata.

11. *Tum maxime.* Zinzerlingius Promuls. Crit. Iuven. c. 22. legere tentat *cum maxime;* frustra. Vid. Duker. ad Flor. II. 16. p. 400.

18. *Medicata* passive dicitur pro *cogitata.* Cic. Catil. I. 10. *ad huius vitae studium meditati illi sunt qui feruntur labores tui.* Multa participia deponentium passive ponuntur, quod eorum forma activa aliquando usitata fuit; ita interdum reperitur *aucupo, tumultuo, fabulo, lucto, intermino* etc. Vid. Vossius de Analog. III. 7. p. 281. sq.

25. *Salvum advenire* scil. te gaudeo.

Ibid. *Credo* i. e. gratias ago. Vim formulae explicuimus ad Andr. V. 4. 36.

28. *Confecistis.* Sunt qui capiant pro *una fecistis.* Vid. Broukhus. ad Propert. IV. 1. 4. Sed melius est capere pro simplici *fecistis.*

30. *Gestio* proprie est laetitiam vel desiderium gestu sive corporis motu exprimo: quae proprietas cognoscitur e Cic. de Orat. II. 6. *nostri animi forensibus negotiis atque urbano opere defessi gestiunt ac volitare cupiunt vacui cura atque labore.* Deinde ponitur pro vehementer cupio, desidero.

36. *Noxia*, non *noxa* legendum esse patet ex iis, quae ad Eun. V. 2. 13. notavimus.

Ibid. *Adesse* et *praesto esse* proprie dicuntur patroni, qui causas defendunt. Cic. pro Murena c. 9. *Servius praesto multis fuit.* Vid. Heinsius ad Ovid. Remed. Amor. v. 663. Hinc utrumque dicitur pro auxilio esse. Liv. III. 25. *nostrisque et nunc querelis adsint et mox armis.* Contra *longe esse* dicitur qui non prodest, non adiuvat. Vid. Drakenborch. ad Liv. VI. 38. 6.

39. *Stare cum aliquo* est partium alicuius esse, aliquem adiuvare. Nep. Agesil. c. 5. *qui nobiscum adversus barbaros steterunt.* Dicitur etiam *stare ab aliquo.* Nep. Datam. c. 6. *coacti sunt cum eis pugnare, ad quos transierant ab hisque stare, quos reliquerant;* item *stare pro aliquo.* Ovid. Trist. I. 2. 5. *Mulciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo.* Saepe hoc verbum a stantibus in acie militibus transfertur ad advocatos in foro. Phaedr. III. 10. 37. *stant patroni, fortiter causam tuentes innocentis feminae.*

41. *Minus rei aut famae temperans* i. e. minus consulens rei familiari vel existimationi. Vid. Donatus ad h. l. Sallust. Catil. c. 25. *pecuniae an famae minus parceret, haud facile decerneres.*

42. *Non causam dico* i. e. non recuso, non intercedo. Elegans ratio loquendi. Plaut. Capt. III. 4. 92. *Hoc si secus reperies, nullam causam dico, quin mihi et parentum et libertatis apud te deliquio siet.* Idem Cas. V. 4. 26. *si ego unquam adeo tale posthac admisero, nulla causa est, quin pendentem me, uxor, virgis verberes.* Cic. Agrar. III. 1. *quid est causae, quin illa criminatione non solum meam sed etiam vestram diligentiam prudentiamque despexerit*, ubi vid. Graevius.

Ibid. *Quin quod meritus sit ferat* h. e. quin meritas poenas luat.

50. *Iusta* sunt, quae causam continent, defensionis firmamenta. Vid. Casaubon. ad Theophr. Charact. c. 17. p. 308.

57. *Columen familiae* i. e. praesidium, auxilium. Plaut. Cas. III. 2. 6. *egreditur senati columen praesidium popli.* Cic.

pro Sext. c. 8. *unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen reipublicae diceres intueri.* Curt. IX. 6. *quis Deorum hoc Macedoniae columen ac sidus diuturnum fore polliceri potest.* Horat. Carm. I. 35, 14. *iniurioso ne pede proruas stantem columnam;* nam voces *columen*, *culmen*, *columna*, ut eiusdem sunt originis, ita eiusdem fere significationis. Vid. Donat. ad h. l. et Burmann. ad Serv. ad Virg. Aen. VIII. 664.

62. *Causam orare* i. e. in iudicio agere, dicere. Virg. Aen. VI. 850. *orabunt causas melius.* Liv. XLV. 36. *integro sibi die ad causam eam orandam opus esse. Orare* simpliciter dicunt Sueton. Tit. c. 3. *latine, graeceque vel in orando vel in fingendis poematibus promtus*, et Rhetores Latini.

63. *Neque testimonii dictio est* i. e. non potest servus testis esse in iudicio.

67. *Quaereret* pro quaerere potuisset vel debuisset, ut mox v. 69. *sumeret alicunde argentum.* Vid. Duker. ad Liv. XLV. 37. 4.

69. *Sumeret* scil. mutuo. Cic. in Brut. c. 19. *a Naevio vel sumsisti multa, si fateris, vel, si negas, surripuisti. Mutuum* distinguitur a *fenore*, nam *mutuum* datur sine usuris. Plaut. Asin. I. 3. 95. *Nam si mutuas non potero, certum est sumam foenore.* Vid. Salmas. de Usuris p. 17.

71. *Fenus* rectius scribitur per simplex *e* quam per *oe*. Nam derivatur ab antiquo *feo*, *fero*, unde etiam *fetus* et *fecundus*. *Feo* autem non nisi forma differt a graeco φύω. Vid. Gesner. ad Claudian. de Nuptiis Honorii v. 37. Veteres plerumque dicunt *sumere*, *accipere fenore*, ICti *sumere fenori*. Vid. Duker. de Lat. Vet ICtorum p. 344.

73. *Non, non sic futurum est.* Magna vis est in repetitione negationis. Liv. XXX. 14. *non est, non, mihi crede, tantum ab hostibus armatis aetati nostrae periculum*, ubi vid. Gronovius.

74. *Egone ut patiar* suppl. credis, postulas vel simile quid. Andr. I. 5. 28. *eine ego ut advorser.* Horat. Serm. II.

5. 18. *Utne tegam spurco Damae latus.* Liv. IV. 2. *illinc ut concitent bella*, ubi vid. Interpretes.

Ibid. *Nuptam cum illo* pro *nuptam illi*, quod frequentius est. Cic. ad Div. XV. 3. *quocum esset nupta regis Armeniorum soror.* Gellius VII. 1. *Scipionem, cum quo nupta erat, liberos desperavisse.*

75. *Nil suave meritum est* i. e. nulla est tam magna merces, nullum tantum pretium, quod libens capiam, si habendum sit ea conditione, ut illam patiar cum illo nuptam unum diem. Ita h. l. egregie explicat magnus Gronovius Obss. in Script. Eccles. VII. p. 77. Cic. de N. D. I. 24. *quid mereas ut Epicureus esse desinas!* Idem Philipp. I. 44. *putasne illum immortalitatem mereri voluisse?* ubi vid. Ferrarius.

78. *Faxo* cum fut. indicat. non nisi Comici iungunt. Eun. II. 2. 54. *faxo calcibus saepe insultabis frustra.* IV. 3. 21. *Iam faxo scies.*

81. *Deos salutare* i. e. venerari. Plaut. Bacchid. II. 3. 113. *Deos atque amicos iit salutatum ad forum.* Cic. pro Rosc. Amer. c. 20. *cum Deos salutatum aliqui venerint.* Vid. Brisson. de Formul. I. p. 30.

## ACT. II. SC. II.

3. *Ad te rerum summa redit.* Locutio sumta ab iis, quibus aut reipublicae cura aut bellorum gerundorum praefectura mandatur. Iis enim *summa rerum committi* dicitur. Caes. B. C. III. 5. *ad hunc summa imperii respiciebat.* Vid. Drakenb. ad Liv. VIII. 26. 6.

4. *Tute hoc intristi* i. e. tu huius mali auctor es, tu etiam poenam lues. Metaphora a genere cibi, quod *intritum* vocant. Vid. Interpretes ad Phaedr. I. 26. 7.

5. *Eccere* vel pro *ecce* dicitur vel est ius iurandum, quasi dicas per Cererem, ut *ecastor, edepol.* Vid. Festus in h. v.

7. *Cedo senem* i. e. veniat si vult. Phaedr. V. 2. 4. *cedo inquit illum iam curabo sentiat quos attentarit.*

9. *In me omnem iram derivem* i. e. convertam. Cic. ad Attic. IV. 3. *id poterat inficiari, poterat in alios derivare.*

Idem pro Mil. c. 10. *dicam non derivandi criminis causa sed ut factum est.* Vid. Lambin. ad Lucret. II. 365.

11. *Ne istaec fortitudo in nervum erumpat* h. e. ne propter istam fortitudinem in vincula coniiciaris. Infra IV. 4. 15. *nostra causa in nervum ibit.* *Nervus* est lignei vinculi genus, in quod pedes reorum immittebantur et nervis animalium vinciebantur. Vid. Festus in h. v. et Salmas. de Modo Usur. p. 812.

12. *Iam pedum visa est via* i. e. iam perspecta mihi ratio est, qua pedes nervum effugere possint.

13. *Deverberasse usque ad necem* h. e. per fraudem et calumniam bonis evertisse ac spoliasse. Sic *verberare* pro argento emungere apud Plaut. Pseud. I. 5. 60. *alio tu modo me verberare atque ego te soleo, cogitas.* Simili ratione *iugulare, interimere, conficere, lacerare* etc. non mortem, sed grave aliquod damnum significant, quas locutiones exquisita eruditione illustrat Dukerus de Latinit. Vet. ICtorum p. 431.

15. *En unquam.* Formula frequens et elegans eorum, qui per interrogationem vel optant vehementer vel indignantur. Plaut. Trin. II. 4. 189. *O pater! en unquam aspiciam te.* Liv. IV. 3. *En unquam creditis fando auditum esse.* Sil Italic. XVI. 91. *en unquam lucebit in orbe Ille dies.* Vid. Interpretes ad Liv. XXIV. 14. 3. XXX. 21. 8.

19. *Unde aliquid abradi potest* h. e. a quibus aliquid pecuniae auferri potest. Imitatur Cicero pro Caec. c. 7. *posteaquam videt nihil se ab A. Caecina posse litium terrore abradere.*

25. *Unctum atque lautum.* Veteres quotidie solebant se ante coenam lavare in balneo et ungere. Cic. ad Attic. XIII. ep. ult. *post horam octavam in balneum; unctus est, accubuit.*

26. *Otiosum ab animo* i. e. vacuum curis et sollicitudine. Sallust. Iug. c. 52. *animo vacuum accepit*, ubi vid. Cortius. Praepositio *ab* plerumque omittitur.

27. *Dum tibi sit.* Guilielmius Quaest. Plaut. c. 4. p. 81. e mss. eleganter legit *dum tibi fit.* Nam *fieri* proprium verbum est in conviviis, cum deliciae instruuntur. Petron. c. 26. p. 92. *nescitis hodie apud quem fiat?* ubi vid. Interpretes.

Ibid. *Ringitur* h. e. irascitur, stomachatur. Cic. ad Attic. IV. 5. *hi subringentur qui villam me moleste ferunt habere. Ringi* proprie dicuntur canes, cum rictum deducunt latraturi vel morsuri. Vid. Lambin. ad Horat. Epist. II. 2. 128.

28. *Decumbere* proprium verbum de convivis. Sueton. Claud. c. 33. *ictus nidore prandii, quod in proxima Martis aede Saliis apparabatur, ascendit ad sacerdotes unaque decubuit,* ubi vid. Oudendorp. Frequentius est *discumbere.*

Ibid. *Coena dubia* quae sit, ipse explicat Terentius, nempe lautissima, in qua dubites, quid appositarum deliciarum potissimum sumas. Horat. Serm. II. 2. 76. *Vides, ut pallidus omnis Coena desurgat dubia.* Sic *dubia cuspis* a Silio Ital. IV. 188. dicitur, quam quis manu tenet, dubitans, quem primum impetat. Vid. Drakenborch. ad h. l.

31. *Praesentes* Dii perpetuo epitheto dicuntur, quod promti sint ad opem ferendam, faventes, propitii. Virgil. Ecl. I. 42. *nec tam praesentes alibi cognoscere Divos.* Ovid. Trist. V. 2. 45. *Alloquor en absens praesentia numina supplex,* ubi vid. Heinsius. Hinc etiam manarunt locutiones *praesens animus, praesens venenum, praesens auxilium, praesens pestis.* Vid. Lambin. ad Horat. Carm. I. 35. 2.

33. *Ludere* est ad armorum peritiam exerceri, non vere pugnare. Ovid. Trist. III. 12. 19. *levibus nunc luditur armis.* Vid. Broukhusius ad Tibull. I. 4. 45.

## ACT. II. SC. III.

4. *Agitabo* i. e. vexabo. Flor. I. 8. *agitatus iniuriis populus,* ubi vid. Duker. Translatio est a feris, quae a venatoribus excitantur cubilibus suis et agitantur.

10. *Ignoratur parens* i. e. contemnitur quasi ignotus. *Ignorare aliquem* significat aliquem agnoscere nolle, quasi alienum et ignotum negligere. Plaut. Amphitr. IV. 3. 13. *quem omnes mortales ignorant et ludificant, ut lubet.* Vid. Ian. Guilielm. Quaest. Plaut. c. 6. p. 16.

12. *Male audire* est vituperari. Contra *bene audire* laudari.

17. *Cui opera vita erat* h. e. qui ex opera quotidiana sibi victum comparabat. *Vita* pariter ac *βίος* apud Graecos pro *victus* ponitur. Plaut. Stich. III. 2. 9. *Nam ut illa vitam repperit hodie sibi.* Vid. Gronov. de Pecun. Vet. II. 7. p. 229.

18. *Colendum habebat.* Conductum agrum colere, paupertatis indicium erat. Virgil. Aen. XII. 520. *conductaque pater tellure serebat.* Vid. Broukhusius ad Tibull. I. 7. 85.

20. *At quem virum.* De hac laudandi formula vid. notata ad Eun. III. 5. 42.

21. *Videas te atque illum.* Locus foedissime corruptus, de quo vid. Bentleii coniecturas.

26. *Carcer* dicit pro carcerario vel carcere digno. Lucilius apud Donatum ad h. l. *carcer, vix carcere dignus.* Ad eandem normam a Comicis dicuntur *crux*, *patibulum*. Vid. Cl. Hemsterhusius ad Thom. Magistr. p. 140.

31. *Bona venia* idem valet, quod *pace tua.* Pro eo etiam dicitur *cum bona venia*, *cum bona pace*, ut apud Liv. XXIX. 17. *Cum bona venia audiatis id quod invitus dicam.* Utrumque coniungit Arnobius contr. Gent. I. p. 5. *cum pace hoc vestra et cum bona venia dixerim.* Vid. Drakenborch. ad Liv. III. 19. 7. et VII. 41. 3.

40. *Subiice* i. e. suggere, mone. Virgil. Aen. III. 314. *vix pauca furenti Subiicio.* Propert. I. 7. 20. *Nec tibi subiiciet carmina Serus Amor*, ubi vid. Broukhusius.

47. *Di tibi malefaciant.* Contraria formula est Adelph. V. 7. 19. *Di tibi benefaciant.*

58. *Solus regnas* i. e. solus tam potens es, ut tibi liceat facere quod lubet. Adelph. II. 1. 21. *regnumne tu hic possides.*

63. *Accipe* scil. in dotem. Petron. c. 74. *sestertium centies accipere potui* scil. in dotem. Vid. Burmann. ad h. l.

64. *Homo suavis* i. e. stultus. Sic Graeci fatuum *ἡδὺν* et *γλυκὺν* dicunt. Vid. quae notavimus ad Tim. Lex. Plat. p. 95.

65. *Ius publicum* h. l. est ius commune, quod ad omnes cives pertinet, nec, ut aliis locis, opponitur iuri privato. Cic. de Off. I. 19. *ex quo fit, ut neque disceptatione vinci se nec ullo publico ac legitimo iure patiantur.* Idem pro Domo c. 13.

*Nego potuisse iure publico, legibus iis, quibus haec civitas utitur, quemquam civem ulla eiusmodi calamitate affici sine iudicio,* intelligit civile vel privatum. Vid. Duker. ad Liv. XLV. 18. 4. et Ernest. Clav. Cic. s. v. *ius.*

72. *Actum, aiunt, ne agas* i. e. noli frustra operam ponere in re iam iudicata. Vid. notata ad Adelph. II. 2. 24.

78. *Prohibebo domo* pro *a domo.* Sallust. Iug. c. 21. *Numidas insequentes moenibus prohibuit.*

81. *Infelix* i. e. improbus, ut apud Graecos *κακοδαίμων*, apud Gallos *malheureux.* Plaut. Cistell. IV. 2. 17. *me infelicem et scelestam.*

90. *Dixi* hic habet vim confirmandi et asseverandi, se non mutaturum sententiam. Eun. V. 8. 36. *dictum est.*

93. *Si quid opus fuerit, domo me* scil. compelle. *Si quid opus est* solennis formula est. Plaut. Cistell. IV. 2. 56. *si quid est opus, dic, impera.*

## ACT. II. SC. IV.

2. *Impedivit* i. e. implicuit. Vid. notat. ad Andr. III. 5. 11.

7. *Dic Hegio.* Verbo *dic* utebantur iudices, cum advocatos causam narrare, et consules, cum senatores sententiam dicere iubebant. Vid. Brisson. de Formul. V. p. 399.

11. *Restituere in integrum* ICti dicunt pro restituere in pristinum statum, in pristinum ius. Nec tantum personae, sed etiam res in integrum restituuntur. Sic Leg. 8. §. ult. Pand. De bon. libert. *in integrum restituere usumfructum* et *in causam pristinam restituere* promiscue ponuntur.

13. *Sedulo.* Hic pulcre convenit etymologica ratio, qua Grammatici *sedulo* ex *se dolo* i. e. sine dolo, natum putant. Cic. pro Cluent. c. 21. *Hoc quanquam sedulo faciebat, tamen interdum non defendere sed praevaricari accusationi videbatur.*

17. *Amplius deliberandum censeo.* Formula e iudiciis ducta. Nam iudices cum significare vellent, rem intricatam esse et nondum definiri posse, vel cum spatium reo dare vellent, dicebant *amplius* aut *non liquet.* Unde *ampliare* est differre

sententiam, diutius velle de causa deliberare. Vid. Brisson. de Formul. V. p. 454.

18. *Res magna* i. e. magni momenti. Nepos Attic. c. 4. *et si qua res maior acta est.* Cic. ad Div. II. 6. *si quae magna res mihi petenda esset.*

## ACT. III. SC. I.

5. *Potiri* ex iis verbis est, quae in meliorem et deteriorem partem dicuntur. Plaut. Epid. IV. 1. 35. *hostium est potita.* Rud. I. 3. 7. *hoc mihi haud labori est, laborem hunc potiri.* Vid. Gronov. Lect. Plaut. p. 66. et Broukhus. ad Propert. II. 7. 64.

11. *Nisi* pro nisi quod i. e. sed. Vid. notat. ad Andr. IV. 1. 40.

12. *Hominem strenuum praebuit.* Intelligendum pronomen *se*, quod addunt alii, ut Quinctil. Instit. II. 9. Lactant. de Opif. Dei c. 1.

17. *De eius consilio* pro ex eius consilio. Sic *de sententia alicuius aliquid facere* est apud Plaut. Bacchid. IV. 9. 115. et saepe apud Ciceronem.

20. *Palaestram* metaphorice dicit lenonis domum, in qua amor assidue exercebatur. Similis translatio est apud Plaut. Bacchid. I. 1. 32. *homo adolescentulus penetrare huiusmodi in palaestram, ubi damnis desudascitur.*

## ACT. III. SC. II.

6. *Ne quid suo suat capiti* h. e. ne quid machinetur, quod in ipsius caput recidat. Sic *consutis dolis* Plaut. Amphitr. I. 1. 211. et simplex *sutelae* pro fraudibus apud eundem Captiv. III. 5. 34. Posteriore loco refellitur Bentleius, negans *suere* absolute dici pro struere, machinari. Sed locus ne sic quidem satis integer videtur, de quo vid. Bentleii coniecturas.

8. *Feneratum istuc beneficium dices* i. e. dices hoc beneficium a te in fenore positum esse, fateberis, te pro hoc beneficio longe maius accepisse. Cic. de Amicit. c. 9. *Ut benefici liberalesque sumus; non ut exigamus gratiam (neque enim*

*beneficium feneramur) sed natura propensi ad liberalitatem sumus.* Vid. Senec. de Benef. I. 1.

10. *Cantilena* est et id quod canitur et quod crebris sermonibus usurpatur. Cic. ad Div. XI. 20. *totam istam cantilenam ex hoc pendere, ut quam plurimum lucri faciant.*

11. *Tu mihi cognatus.* Similis blanditia est apud Propert. I. 11. 23. *tu mihi sola domus, tu Cynthia sola parentes, Omnia tu nostrae tempora laetitiae,* ubi vid. Broukhusius.

12. *Duro ingenio* i. e. rigido, aspero, cui opponitur *ingenium lene* Heaut. I. 1. 99.

15. *Phalerata verba* sunt speciosa, sed eadem inania. *Phalerae* proprie sunt ornamenta argentea equorum, quae speciem, non usum habent. Vid. Duker. ad Flor. I. 5. p. 52. Translata sic dicitur omnis externa corporis vel fortunae pompa. Persius Sat. III. 30. *Ad populum phaleras; ego te intus et in cute novi. Ducere* est differre. Caesar. B. G. 1. 16. *Diem ex die ducere Aedui, conferri, comportari, adesse dicere.* Vid. Grenov. Obss. I. 12.

Ibid. *Meam ductes gratiis* h. e. mea fruaris gratis, sine mercede. *Ductare* obscoenum verbum. Plaut. Asin. V. 2. 12. *qui quidem cum filio potet una atque una amicam ductet, decrepitus senex.* Vid. Rivium ad h. l. et Burmann. ad Quinctil. Instit. Orat. VIII. 3. p. 695.

16. *Veris vincor* h. e. veritate, ut vulgus loquitur, mihi os obfercitur. Plaut. Mostell. I. 2. 12. *Profecto ita esse, ut praedico, vero vincam.*

23. *Ne parum leno sis* h. e. ne quid facias, quod lenonem non deceat. Saepe personae exquisita elegantia ponuntur pro moribus personarum. Ovid. Met. VI. 629. *Sed simul ex nimia matrem pietate labare Sensit,* ubi vid. Heinsius. Valer. Max. V. 8. *exuit patrem, ut consulem ageret.* Heaut. V. 3. 4. *pergin' mulier esse.* Vid. Schulting. ad Quinctil. Declam. I. 2.

27. *Mutare fidem cum aliquo* est fidem alicui datam fallere; quae locutio frustra suspecta erat viris eruditis. Sic Plautus Pseud. I. 3. 142. dixit *perdere cum aliquo fidem.* Cic.

de Offic. III. 29. *servare fidem cum aliquo*, et ad eundem modum Liv. XXVIII. 17. *firmare fidem cum aliquo*, ubi vid. Drakenborch.

39. *Ad diem dare, solvere* est praestituta die dare, solvere. Caes. B. C. II. 19. *edictum praemittit ad quam diem magistratus principesque omnium civitatum sibi esse praesto Cordubae vellet*, ubi vid. Interpretes. Cic. ad Div. IX. 5. *mihi vero ad Nonas bene maturum videtur fore.*

41. *Vanitatis* i. e. mendacii, perfidiae. Cic. pro Quint. c. 6. *si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur: necesse est, qui amicum, socium, affinem fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se et perfidiosum et impium esse fateatur.* Vid. Ernest. in Clave Cic. h. v.

Ibid. *Ob rem* i. e. ob utilitatem. Sallust. Iug. c. 31. *id frustra an ob rem faciam, in vestra manu situm;* ubi vid. Cortius. Usitatius dicitur *in rem.*

Ibid. *Sterquilinium;* convicium in hominem improbum. Plaut. Cas. I. 1. 26. *Ex sterculino effosse.* Scribendum vero *sterculinum* vel *stercilinum*, ut sit quadrisyllabum. Vid. Bentleius ad h. l.

42. *Sic sum* i. e. tales sunt mores mei, tale ingenium. Vid. not. ad Andr. V. 4. 16.

Ibid. *Utere* i. e. vive, versare mecum.

## ACT. III. SC. III.

5. *Experimur reddere* i. e. nitimur, conamur.

7. *Edoce* i. e. plane doce. Caesar B. C. III. 108. *quae fieri vellet litteris nunciisque edocuit.* Sallust. Catil. c. 48. *eadem quae Volturcius de paratis incendiis, de caede bonorum, de itinere hostium Senatum edocet*, ubi vid. Cortius.

11. *Quaerere in malo crucem* proverbialiter dicitur, qui in parvo malo magnum sibi malum ultro arcessit.

12. *Alienus* est, quocum nulla nobis intercedit amicitia. Cic. ad Div. I. 9. *enitor ut neque amicis neque alienioribus opera, consilio, labore desim*, et ibi Manutius.

21. *Plus minusve facere* dicitur qui quid facit, quod in alterutram partem conspici et notari possit vel in excessum vel in defectum, ut barbari vulgo loquuntur. Plaut. Captiv. V. 3. 18. *cur ego plus minusve feci illi quam aequum fuit.* Vid. Schulting. ad Senec. Suasor. VII. p. 49.

34. *Iter* etiam de brevi itinere intra ipsam urbem dicitur. Phaedr. III. 19. 5. *circueunti fuerat quod iter longius effecit brevius.* Plin. Panegyr. c. 76. *iter illi saepius in forum, frequenter tamen et in campum,* ubi vid. Schwarzius.

Ibid. *Te hinc amove* i. e. hinc discede. Sueton. Tiber. c. 10. *statuit repente secedere seque e medio quam longissime amovere.*

## ACT. IV. SC. I.

1. *Quid? qua causa* est formula interrogandi. Plaut. Bacch. II. 3. 15. *quid hoc? qua causa eum hinc in Ephesum miseram,* ubi vid. Gronovius. Petron. c. 26. *Quid vos, inquit, nescitis hodie apud quem fiat?*

4. *Manebat* i. e. exspectabat. Horat. Carm. I. 28. 33. *vicesque superbae Te maneant ipsum,* ubi vid. Lambinus.

13. *Ferre conditiones* est offerre. Caesar B. G. IV. 11. *ea conditione, quae a Caesare ferretur, se usuros ostendebant.* Liv. XXXIV. 59. *ex duabus conditionibus, quae latae sunt, legite,* ubi vid. Interpretes. *Conditio* h. l. est matrimonium vel uxor, quam vocis vim supra explicuimus.

Ibid. *Extrario* i. e. alieno, nulla nobis cognatione coniuncto. Forma *extrarius* Mureto ad h. l. non satis latina videbatur, sed ab idoneis scriptoribus usitatam esse ostendimus ad Rutil. Lup. p. 43.

20. *Ut me excutiam* i. e. ut me eiiciam domo, ut hinc fugiam. Cic. Philipp. II. 22. *consules ex Italia excussos.* Vid. Broukhus. ad Tibull. II. 6. 12.

21. *Ego meorum solus sum meus* h. e. nemini domesticorum meorum credere possum, omnes cum uxore consentiunt. Ludit in duplici sensu pronominis *meus.* Nam *mei* primum sunt, qui e familia sunt, deinde qui mearum partium sunt,

qui mecum sentiunt. Cassius Ciceroni XII. 12. *Crede mihi hunc exercitum quem habeo, senatus atque optimi cuiusque esse maximeque tuum.*

## ACT. IV. SC. II.

3. *Fieret* i. e. conficeretur. Plaut. Pseud. I. 3. 67. *Iam hercle vel ducentae fieri possunt praesentes minae.*

14. *A primo* scil. principio; plene dicitur pro *primo*, ut *ad primum* pro *primum*. Infra IV. 3. 37. *a primo homo insanibat.* Cic. Orat. c. 8. *Demosthenes summissius a primo, deinde dum de legibus disputat, pressius, post sensim incedens.* Idem Philipp. II. 30. *consilium a primo reprehendendum.* Vid. Gronov. ad Senec. de Vita Beata c. 7. et ad Quaest. Nat. V. 14.

## ACT. IV. SC. III.

2. *Adstare* ponitur pro simplici *stare.* Virg. Aen. II. 328. *armatos mediis in moenibus adstans Fundit equus,* ubi vid. Servius.

9. *Circuiri* i. e. decipi, falli, pro quo frequentius dicitur *circumveniri.* Senec. Controv. V. p. 381. *simplicitatem circumveniunt,* ubi vid. Schulting.

10. *Id agitans* i. e. hac de re cogitans. Simplex verbum ponitur pro composito. Nam *cogito* contractum est ex *coagito.* Liv. XXV. 36. *circumspectare atque agitare dux coepit,* ubi vid. Drakenborch. Tacit. Hist. IV. 59. *digressum Voculam et de supremis agitantem.* Flor. IV. 2. 15. *de successione Caesaris senatus, id est Pompeius, agitabat.*

13. *Is qui istanc* scil. tuetur.

17. *Gratia* est vox mediae significationis. Sic apud ICtos dicitur *divortium cum bona gratia;* contra *mala gratia* h. l. et apud Senec. Epist. 82. Vid. Graevius ad Cic. pro Sull. c. 16.

20. *Uno ore* i. e. summo consensu. Vid. notat. ad Andr. I. 1. 69.

Ibid. *Praecipitem daret* h. e. domo eiiceret. Phaedr. V. 7. 39. *Ab universis capite est protrusus foras,* ubi vid. Burmannus.

23. *Sudabis satis* h. e. satis negotii habebis.. Cic. ad Div. III. 12. *vides sudare me iam dudum laborantem, quomodo ea tuear quae mihi tuenda sunt.* Horat. A. P. v. 241. *sudet multum frustraque laboret Ausus idem.*

25. *Pone.* Pro eo Latini etiam dicunt *fac*, *finge*, barbari aetatis nostrae *suppone, posito quod* et *posito casu.* Translatio est a calculis, qui ponuntur et finguntur valere, quod rationator velit. Vid. Burmann. ad Petron. c. 101. p. 473.

27. *Mollirier* i. e. placari, mitigari. Sallust. Iug. c. 33. *sedare motus et animos mollire.* Virgil. Aen. I. 57. *mollitque animos et temperat iras.*

28. *Soli sumus,* ut tuto loqui possimus. Cic. ad Attic. VI. 3. *omnino, soli enim sumus, nullas unquam ad me literas misit Brutus.* Graeci eadem formula dicunt *αὐτοί ἐσμεν* sive *μόνοι ἐσμεν.* Vid. Victorii V. L. XXIII. 23.

30. *Hinc facessat* i. e. hinc abeat. Cic. apud Non. Marcell. p. 307. *facessant igitur omnes qui docere nihil possunt, quo melius sapientiusque vivamus.* Est etiam in *facessat* intelligendum *se.*

31. *Satin illi Di sunt propitii* h. e. an satis sana mente est? Sic Veteres loquebantur, quod credebant Deos, quibus irati essent, sanam mentem et consilium eripere. Vid. notata ad Andr. IV. 1. 40.

37. *Insanibat* i. e. nimium postulabat. Sic *insanire* etiam dicuntur, qui nimios sumptus in rem aliquam faciunt. Plaut. Mil. III. 1. 157. *insanivisti hercle.* Auctor ad Herenn. IV. 50. *tametsi in Tusculano quidem coepi insanire.*

38. *Nimium quantum* per periphrasin dicitur pro *nimium.* Sic *immane quantum, mirum quantum, incredibile quantum, infinitum quantum.* Similiter Graeci *πλεῖστον ὅσον*, *θαυμαστὸν ὅσον.* Vid. Georg. Fabric. ad h. l. et Interpretes ad Flor. IV. 2. 74. *plurimum quantum favoris partibus dabat fraternitas ducum.*

39. *Talentum magnum* i. e. Atticum, quod *magnum* appellabant Romani, quoniam aliorum Graecorum talenta minoris erant summae. Vid. Gronovius de Pecun. Vet. III. 4.

41. *Locaret* pro in matrimonium collocaret. Vid. Bentleius ad V. 1. 32.

48. *In servitutem.* Contraria sententia Euripidis, qui in Fragm. Melanippes dotem uxoris divitis, quam pauper duxit, *δουλοῦν τὸν ἄνδρα*, subiugare maritum sive in servitutem redigere, et maritum *οὐκ ἔτι ἐλεύθερον εἶναι* sive non amplius liberum esse dixit. Vid. Duker. ad Liv. XXXIV. 7. 12.

Ibid. *Ad ditem dari* pro diviti dari. Saepe praepositio *ad* ponitur, ubi usitatius dativus. Liv. II. 33. *ad id feriendum consul alter Romae mansit.*

56. *Animam debere* dicitur, qui plus debet quam dissolvere potest.

Ibid. *Opponere pignori* Veteres dicunt, *supponere* ICti, quorum Fragmenta sunt in Digestis.

59. *Ne clama* magis latinum est, quam *ne clames.* Ovid. Art. Amat. I. 343. *ne dubita cunctas superare puellas*, ubi vid. Burmannus.

64. *Impuratus* i. e. impurus, improbus. Plaut. Rud. II. 6. 59. *impurata bellua.*

72. *Repudium renuntiare* est repudium remittere, ut infra V. 7. 35., vel mittere nuntios et testes, qui sponsae vel uxori repudium significent. Plaut. Aulul. IV. 10. 53. *is me nunc renuntiare repudium iussit tibi.*

75. *Fructus* est reditus praediorum et agrorum. Catull. CXV. *Firmano saltu non falso Mentula dives Fertur, qui tot res in se habet egregias, Aucupia omne genus, pisces, prata, arva, ferasque. Nequidquam: fructus sumptibus exsuperat* h. e. plus in eum saltum impendit pecuniae, quam inde redigit. Cic. Parad. VI. 1. *neminem esse divitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus.* Idem Catil. II. 8. *Quod si maturius facere voluissent, neque, id quod stultissimum est, certare cum usuris fructibus praediorum, et locupletioribus his et melioribus civibus uteremur*, ubi vid. Interpretes.

Ibid. *Reddere* proprie dicitur ager id, quod ex eo percipitur. Columella de Re Rust. II. 17. *reddit pratum in pabulo non minus quam in foeno.* Haec et similes locutiones

ex eo ortae videntur, quod semen velut creditum agro ille reddit cum fenore.

## ACT. IV. SC. IV.

1. *Emunxi argento senes* comice dicitur pro argentum senibus per fraudem abstuli. Plaut. Bacch. IV, 4. 50. *Emungam hercle hominem probe hodie: ne id nequicquam dixerit.* Ibid. V. 1. 15. *Cano capite, atque alba barba miserum me auro esse emunctam.* Graeci quoque comici *ἀπομύττειν* pro *decipere* dixerunt, teste Polluce II. 73. Vid. Cl. Toupii Epist. Crit. p. 309.

5. *Ad restim res rediit* i. e. ita perii, ut nihil supersit, quam ut resti me suspendam. Plaut. Poen. I. 2. 184. *Capias restim ac te suspendas cum hero et vostra familia.*

8. *Qui te ad scopulum e tranquillo inferat* h. e. qui te ex re tranquillissima in summum periculum vel perniciem eiiciat. Hunc locum imitatus est Livius XXXVIII. 10. *tum illam tempestatem coortam, quae ad Antiochum eos, sicuti in scopulum, intulisset*, ubi vid. Gronov. et Drakenborch.

Ibid. *E tranquillo* intell. *mari.* Plin. Hist. Nat. XVIII. 35. *littora ripaeque si resonabunt tranquillo, asperam tempestatem praedicunt.* Eadem forma Veteres *sereno* dicebant pro *coelo sereno.* Vid. Interpretes ad Liv. III. 14. 5. et XXVIII. 27. 16. Sed pro *inferat* alii libri habent *auferat*, quod verbum proprie dicitur de tempestate et fluctu. Ovid. Amor. II. 4. 8. *auferor, ut rapida concita puppis aqua.* Vid. Bentleius ad h. l. et Drakenborch. ad Liv. XXXV. 11. 10.

9. *Utile.* Bentleius et alii e melioribus codicibus ediderunt *utibile*, qua forma Plautus quoque utitur Menaechm. V. 6. 23. *ii solent esse heris utibiles*, et alibi.

Ibid. *Ulcus tangere* i. e. mentionem facere rei, quae dolorem inurat. Cic. pro Domo c. 5. *si tu in hoc ulcere tanquam unguis exsisteres?* Pacatus in Panegyr. c. 3. *parcam replicare causas et placatum vulnus offendere; faciam quod facere praestantes scientia medicos saepe vidi; altorum vulnerum cicatrices, postquam cutem sanitate duxerunt, manu pendente*

*tractabo.* Eumenius Paneg. in Constant. c. 14. *quid faciam, ut tam profunda vulnera suspensa manu tractem?*

13. *Enim* ponitur pro *enimvero.* Infra V. 7. 90. *Etenim solus nequeo.* Saepe *enim* adversandi vim habet. Liv. XXII. 25. *id enim ferendum esse negat.* Valer. Max. III. 7. 8. *est enim iniquum, Quirites.* Vid. Interpretes ad Liv. XXXIV. 32. 13. Solis vero Comicis, quos Appuleius imitatur, usitatum est hanc particulam adversativam ab initio ponere.

17. *Excerpis* i. e. carpis, ex pluribus deligis quod placet, relictis aliis. Cic. de Leg. III. 10. *Sed est iniqua in omni re accusanda, praetermissis bonis, malorum enumeratio, vitiorumque selectio.*

25. *Canis* occursus inauspicatus habebatur, unde apud Plaut. Cas. V. 4. 4. *canina scaeva* est omen infelix. Vid. Casaub. ad Theophr. Charact. c. 16. p. 291.

26. *Anguem* vidisse in aedibus aut in itinere, triste auspicium habebatur. Vid. Casaubon. l. c. p. 294.

27. *Gallina cecinit.* Donatus observatum dicit, in qua domo gallina canat, superiorem marito uxorem esse.

28. *Bruma* proprie significat diem brevissimam. Nam *brevissima* in *breumam* vel *brumam* eodem fere modo contractum est, quo *infimus* in *imus.* Vid. Gesner. ad Claudian. de Raptu Proserp. II. 106. Recentiores brumam barbare vocant *solstitium* hibernum. Veteres sic vocabant solstitium aestivum.

## ACT. IV. SC. V.

4. *Libido* est voluntas hominis incerti et levis, temere suscepta. Vid. Heaut. I. 2. 27.

6. *Non moror* i. e. in me nulla mora est.

10. *Nos nostro officio nil digressos* h. e. nos nihil fecisse, quod ab officio nostro alienum sit.

## ACT. V. SC. I.

4. *Tolerare violenter* i. e. iracunde accipere, iniquo animo ferre. *Violentia* iis tribuitur, qui iram cohibere non pos-

sunt. Sueton. Caes. c. 35. *ne quandoque violentiorem praesidem nacta provincia novarum rerum materia esset.* Vid. Drakenborch. ad Liv. VI. 31. 4.

17. *Conclusam.* Eleganter hoc verbo utitur, ut uxorem tanquam feram bestiam, quae septis coercenda sit, traducat. Nam ferae proprie dicuntur concludi. Vid. Donatus ad h. l.

29. *Composito* dicitur pro ex vel de composito. Virgil. Aen. II. 129. *composito rumpit vocem.* Sic *compacto* pro ex compacto, *improviso* pro ex improviso. Liv. V. 11. *compacto eam rem et communi fraude patriciorum actam*, ubi vid. Drakenborch.

30. *Forte temere.* Sic Veteres haec duo vocabula iungere solebant. Nunc *forte* simpliciter dicunt. Cic. de Divinat. II. 68. *nisi ista casu nonnunquam forte temere concurrerent.* Liv. X. 43. *eò ipso loco forte temere sub armis strati passim inquietum omne tempus noctis egere*, ubi vid. Gronovius.

## ACT. V. SC. II.

2. *Benignos* h. e. nimium faciles, comes. Petron. c. 44. *et quam benignus*, ubi vid. Burmann. *Bonus et benignus* iungit etiam Horat. Serm. I. 2. 51. *vellet bonus atque benignus esse.*

3. *Ita fugias ne praeter casam.* Huius proverbii rationem et sensum unus vidit Gronovius Obss. III. 9. Servi fugitivi vitabant domini casam aut villam, ubi facile comprehendi et in servitutem retrahi potuissent. Proverbio ita dictum est *ita fugias ne praeter casam* pro: cave, nè dum levius malum vitas, in gravius praecipites. I. Clericus ad Liv. VI. 29. 3. corrigi volebat *ne praeter castra*, quod iure explosit Drakenborchius.

4. *Obiectum*, tanquam bolus cani. Inest igitur in hoc verbo contemtus. Liv. IV. 51. *delenimentum animis Bolani agri divisionem obiici.* Phaedr. IV. 11. 8. *obiecto cuncta corrumpit lucro.*

8. *Modo ut hoc consilio posset discedi* i. e. si modò res hoc consilio exitum habeat. Cic. ad Attic. II. 16. *si possum*

*discedere* i. e. si consequi possum, ut recte explicat Manutius. Infra V. 8. 58. *immo vero pulcre discedo et probe et praeter spem.*'

12. *Tu Geta abi praenuntia.* Guilielm. Quaest. Plaut. c. 4. p. 63. mutata distinctione recte legit *tu Geta, abi prae, nuntia.* Andr. I. 1. 144. *i prae, sequar.* Vid. Bentleius ad h. l.

15. *In eodem luto haesitas* i. e. in eadem difficultate. Translatio est ab iis, qui in luto tam alto haerent, ut sese ex eo expedire aut evolvere nequeant. Horat. Serm. II. 7. 27. *nequicquam coeno cupiens evellere plantam*, ubi vid. Lambinus.

Ibid. *Vorsura solves* h. e. in eodem malo haerebis. In quibusdam editionibus male legitur *vorsuram*, quod vitium viri docti dudum sustulerunt. *Versura* proprie est sumtio pecuniae mutuae. *Facere versuram ab aliquo* dicitur, qui pecuniam ab aliquo mutuam sumit. Cic. pro Font. c. 1. *a quibus versuras tantarum pecuniarum factas esse dicunt.* Sed *versura solvere* est vetus debitum expungere novo contrahendo. Sic creditor quidem vertitur i. e. immutatur, sed debitor in eadem difficultate haeret. Cic. ad Attic. V. 15. *ut verear, ne illud, quod tecum permutavi, versura mihi solvendum sit.* Has locutiones, perperam fere a viris eruditis acceptas, primus accurate explicuit Gronovius de Centesimis et Unciis Usur. p. 535. sqq.

16. *In diem abiit* h. e. longius differtur. Vid. notata ad Eun. V. 6. 19.

## ACT. V. SC. III.

4. *Factum volo* est formula eius, qui studium suum offert. *Volo* saepe vim alacritatis habet. Catull. VI. 17. *volo te ac tuos amores ad coelum lepido vocare versu.* Cic. ad Div. XV. 7. *eum honorem tibi Deos fortunare volo.* Vid. Broukhusius ad Propert. II. 8. 13.

5. *Indiligenter* h. e. negligenter, non ut debet paterfamilias ad rem attentus. *Diligentia* proprie tribuitur iis, qui

rem familiarem tuentur. Vid. quae annotavimus ad Rutil. Lup. I. p. 17.

6. *Tutatur* i. e. servat. *Tueri* proprium in hac re verbum est. Plin. Paneg. c. 51. *Idem tam parcus in aedificando quam diligens in tuendo.* Sic *tutela* apud eundem Epist. II. 17. *villa usibus capax, non sumptuosa tutela*, ubi vid. Gesner.

7. *Statim* h. e. uno quasi statu, perpetuo, aequaliter. Plaut. Amphitr. I. 1. 84. *nec recedit loco, quin statim rem gerat.*

9. *Scilicet* est frigide respondentis.

Ibid. *Virum me natam vellem.* Venuste abundat *natam.* Vid. Rutil. Lup. II. p. 94. ubi hanc elegantiam pluribus illustravimus.

17. *Uterque utrique est cordi* h. e. se mutuo vehementer amant. Vid. notata ad Andr. II. 1. 28.

20. *Ne in cognatam pecces* i. e. ne quid committas quod cognatae noceat. Adelph. IV. 7. 7. *hoc peccatum in virginem est civem.* Aliud est *peccare in cognata*, de quo discrimine vid. Interpretes ad Ovid. Amor. II. 8. 9.

21. *Hoc* ponitur pro *ob hoc.* Plaut. Pseud. III. 2. 18. *Hoc ego fui hodie solus obsessor fori.*

22. *Cedere* et *concedere* dicuntur, qui desinunt adversari. Horat. Serm. II. 3. 305. *liceat concedere veris.*

26. *Aut scire aut nescire* i. e. quacunque ratione scire. Similis formula apud Plaut. Epid. III. 1. 3. *sitne quid, necne sit, scire [illegible]io.*

## ACT. V. SC. IV.

1. *Ut meae res sese habent.* Sic recte legitur in codice Bembino, quod defendit Gronov. Obss. III. 6. *Ut* ponitur pro *ut ut, quomodocunque.* Cic. ad Div. XVI. 18. *sed ut est, indulge valetudini tuae*, ubi vid. Graevius. Liv. XXII. 25. *ut vera omnia essent*, ubi plura exempla congessit Drakenborch.

3. *Quas mederi.* Sic Bentleius edidit ex Prisciano et mss. *Mederi* cum accusativo construitur, ut *medicari* apud Virgil.

Aen. VII. 756. *Sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum Evaluit.*

5. *Me evolvere* h. e. me expedire, me liberare. Guilielm. Quaest. Plaut. c. 4. p. 83. ex veteris codicis vestigiis legendum coniicit *eruere*, sed recepta lectio confirmatur ex Eun. IV. 4. 55. *te omni turba evolves.*

7. *Ostentare spem* dicit Cic. pro Cluent. c. 7. *cum unius filii recuperandi spes esset ostentata.* Saepe *ostendere* et *ostentare* promiscue dicuntur. Vid. Duker. ad Flor. III. 5. p. 469.

9. *Tempus capere* i. e. eligere. Liv. III. 9. *insidiatum eum, et tempore capto adortum rempublicam.* Flor. III. 5. 55. *quasi capto tempore erupit*, ubi vid. Duker. Similiter *capere occasionem* dixit Frontinus II. 1. 1.

## ACT. V. SC. V.

2. *Emissa est manu* i. e. potestate. Liv. XXIV. 18. *convenere domini eorum, quos Ti. Sempronius ad Beneventum manu emiserat.* Frequentius est *manumittere.*

6. *Satietatem amoris sumere* h. e. frui amore, quantum ipsi satis videtur. Aliis locis *satietas amoris* est fastidium, quod ex ipsius copia oritur. Liv. XXX. 3. *si forte iam satias amoris in uxore ex multa copia cepisset*, ubi vid. Interpretes.

## ACT. V. SC. VI.

1. *Quantis commoditatibus hero meo* etc. per hypallagen dicitur pro: quantis commoditatibus herum meum onerastis hoc die. *Onerare* est cumulare. Plaut. Captiv. IV. 1. 7. *hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies.*

9. *Nunquam odio me vinces* i. e. nunquam importunitate tua obtinebis ut subsistam. Hinc ductus est locus Horat. Serm. I. 7. 6. *Durus homo atque odio qui posset vincere Regem.* Vocem *odium* explicuimus ad Adelph. V. 4. 17.

10. *Vapula* non *vapulabis* legendum esse, apparet ex Festo cuius verba sunt, *vapula* tum dici solitum, cum vellent minantibus significare, se eos negligere et non curare; subiicit dein Terentii locum. Vid. Bentleius ad h. l.

Ibid. *Curialem* vernulam dicit ab eo, quod Graeci censebant servos ex tribu, populo et curia dominorum. Vid. Scaliger ad Festum v. *curialis*. Sed Bentleius haec verba tanquam spuria e textu expungit, cuius rationes minime contemnendae videntur.

13. *Quantum est* scil. hominum. Vid. notata ad Heaut. IV. 6. 6.

Ibid. *Ornatissimi* dicuntur, qui praediti sunt rebus, quae ornamentum aliquod i. e. decus, gloriam et existimationem pariunt. Vid. Duker. ad Flor. I. 7. p. 66. et Ernest. ad Sueton. Caes. c. 1.

16. *Delibutum gaudio* h. e. plenum gaudii, vel, ut Cicero loquitur, perfusum gaudio. *Delibuere* proprie est inungere, liquore aliquo imbuere, sed a corpore ad animum traducitur. Vid. Donatus ad h. l.

27. *Suspensus gradus* dicitur tam lenis et mollis, ut euntes pedibus quasi sublatis non sentiantur. Ovidius hunc locum imitatus Fast. I. 425. *Surgit amans: animamque tenens, vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu.* Vid Broukhus. ad Propert. II. 3. 6. et Schwarz. ad Plin. Panegyr. c. 22.

28. *Animam compressi.* *Animam tenere* dicit Ovid. l. c., *animam continere* Cic. de Orat. I. 61. *Demosthenes tantum continenda anima in dicendo est assecutus.*

30. *Facinus* etiam in bonum sensum dicitur. Heaut II. 3. 73. *non fit sine periculo facinus magnum et commemorabile.* Sallust. Catil. c. 20. *maximum atque pulcherrimum facinus incipere*, ubi vid. Cortius.

37. *Dabo* i. e. dicam, narrabo. Vid. notata ad Heaut. prol. v. 11.

42. *Quin ergo.* Hae particulae hortationi inserviunt. Curt. V. 7. *quin igitur ulciscamur Graecos.*

## ACT. V. SC. VII.

4. *Dilapidet* i. e. disperdat, consumat. Translatio inde est, quod lapides sine cura temere iacimus atque ita disperdimus.

15. *Posthabui* i. e. postposui. Velleius Paterc. II. 69. eodem modo dixit *postferre*. Vid. not. ad Adelph. II. 3. 9.

20. *Viduam* h. e. ab illo, cui nupta est, separatam. Nam *vidua* non tantum dicitur, cuius maritus mortuus est, sed etiam cuius maritus abest superstes. Plaut. Stich. I. 1. 2. *quae tam diu vidua viro suo caruit*, et Menaechm. I. 2. 4. *foris vidua visas patrem;* unde *vidua nox* dicitur, in qua quis secubuit nec venere usus est. Ovid. Epist. XIX. 69. *Cur ego tot viduas exegi frigida noctes.* Petron. c. 133. *an contentus fuit vidua pudicaque nocte.* Vid. Gronov. Lect. Plaut. p. 328.

21. *Eadem omnia me incusaveras.* Iunguntur uni verbo duo accusativi, alter personae, alter rei, de qua constructione vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. II. 5. 6. p. 186.

29. *Rescribi* i. e. reddi per trapezitam sive argentarium. Veteres facultatum suarum partem apud argentarium deponebant, ad eumque creditores suos remittebant; id quod dicebatur *rescribere* vel *perscribere.* Vid. Donatus ad h. l. Hodie dicunt *solvere per assignationem.* Rem copiose explicuerunt Salmas. de Usur. p. 473. Gronov. Obss. IV. 9. et Graevius ad Cic. ad Attic. XVI. 2.

35. *Vestri honoris causa.* Sic Cicero et optimus quisque Veterum loquitur, deinde etiam dicere coeperunt *in honorem, in gratiam, in laudem alicuius facere.* Vid. Duker. ad Flor. I. 3. p. 37.

49. *Lemni habuit aliam* pro *in Lemno.* Saepe nomina insularum et regionum construuntur ut nomina urbium. Nep. Milt. c. 2. *domum Chersonesi habere.* Iustin. XXXIX. 4. *bello Cypri exsulantem persequitur.* Vid. Vossius de Construct. c. 25. p. 402.

52. *Ut ludos facit* scil. nos i. e. ut nos ludibrio habet.

54. *Audio* dicimus, cum quid concedimus adversario sive serio, sive per ironiam. Vid. notata ad Eun. II. 3. 79.

65. *Esse elatum foras* h. e. palam factum. Cic. Philipp. X. 3. *efferri haec foras et ad populi Romani aures pervenire.* Adelph. IV. 4. 17. *quod minime est opus usquam efferri.*

71. *Gladiatorio animo* i. e. plane desperato, ut perdere me velint vel perire. Sic enim gladiatores concurrebant.

Gell. VII. 3. *Nam gladiatori, composito ad pugnandum, pugnae haec proposita sors est, aut occidere si occupaverit, aut occumbere si cessaverit.*

74. *E medio excessit* i. e. diem obiit supremum. Infra V. 8. 30. *e medio abiit.*

78. *Huius veritus.* Perizonius ad Sanct. Min. II. 3. p. 165. supplet *causa.* Nam ut Graeci *ἕνεκα*, sic Latini *causa* saepe omittunt. Vid. Vossius de Constr. c. 27. p. 404.

79. *Novo modo* i. e. inaudito, cuius exemplum non extat. Cic. pro Rosc. Amer. c. 1. *iniuriam novo scelere conflatam.* Sueton. Calig. c. 40. *vectigalia nova atque inaudita.*

80. *Lautum peccatum. Lavare peccatum* idem est, quod luere peccatum. Nam *luere* proprie est lavare, lavando purgare, ut ex compositis patet. Sed usus postea hoc verbum flexit ad significandam purgationem criminis, quae purgatio vel redemtione pecuniaria fit vel sacrificio vel qualicunque poena. Vid. Perizon. ad Sanct. Min. III. 2. p. 278.

82. *Lacrimis si exstillaveris* i. e. si totus quasi in lacrimas convertaris. *Stillare* est guttas emittere, *exstillare* guttatim finire. Vid. Donatus ad h. l.

83. *Malum quod isti Dii* etc. Haec imprecandi formula totidem verbis est apud Plaut. Mostell. III. 1. 125., in qua aliquid abundare videtur. Plaut. Amphitr. II. 1. 13. *malum, quod tibi Dii dabunt.*

74. *Affectum audacia* i. e. praeditum. Cic. de Offic. I. 41. *sicut aliquo honore aut imperio affectos.* Vid. Gifanii Obss. L. L. p. 15.

86. *In solas terras* i. e. desertas. Vid. notata ad Andr. II. 4. 3. De supplic , quo nocentes in desertas regiones deportabantur, agit Is. Casaubon. ad Sueton. Caes. c. 66.

91. *Lege agere* dicitur, qui actionem alicui intendit ex lege aliqua, quae dat facultatem actionis intendendae. Vid. Ernest. Clav. Cic. v. *lex.*

96. *Oculum exclude* i. e. effode. Plaut. Pseud. I. 5. 95. *excludito mihi oculum, si dedero.*

Ibid. *Est* scil. locus vel tempus.

## ACT. V. SC. VIII.

4. *Ubi sit nescit* h. e. plane perturbatus est. Flor. II. 10. *ubi essent prae poculis nescientes*, ubi vid. Dukerus.

18. *Dum tu dormis* i. e. dum tu secura es. Vid. notata ad Heaut. II. 3. 101.

20. *Hodie* saepe non tempus significat, sed iracundiam et stomachum. Virg. Aen. II. 670. *nunquam omnes hodie moriemur inulti.* Adelph. II. 2. 7. *qui hodie ei usque os praebui*, ubi vid. Donatus.

21. *Qui mihi* etc. h. e. qui senectutem suam excusant, ubi officium praestandum est uxoribus. Hic locus expressus est e Plaut. Asin. IV. 2. 4. *uxori excuses te et dicas senem? Mihi* abundat ut saepe.

26. *Verba fiunt mortuo;* pro eo dicit Heaut. II. 1. 10. *surdo narret fabulam.*

27. *Negligentia tua*, *odio tuo* dicitur pro negligentia tui, odio tui. Plin. Panegyr. c. 14. *Rhenumque et Euphratem admirationis tuae fama coniungeres*, ubi vid. Schwarz. Sic Heaut. II. 3. 66. *desiderio tuo* pro *tui*, ubi vid. notata.

32. *Defungier* h. e. finem molestiae imponere, ut explicuimus ad Adelph. III. 4. 63.

38. *Sic dabo.* Formula insultantis et poenas ab inimico sumtas esse gratulantis. Plaut. Men. IV. 2. 40. *Sic datur.* Pseud. I. 2. 22. *Qui nunc? doletne? hem! sic datur, si quis herum servus spernit*, ubi vid. Interpretes.

41. *Obganniat* i. e. exprobret. Plaut. Asin. II. 4. 16. *centies eadem imperem atque obganniam.* *Gannire* et *obloqui* iunxit Catull. LXXXVII. 4. Terentium imitatur Apuleius Met. II. p. 85. *incertum quidnam in aurem mulieris obgannit.*

42. *Credo* eleganter inservit ironiae, ut supra I. 2. 90. Cic. de Provinc. Cons. c. 12. *Caesar, quid est, cur in provincia commorari velit, nisi ut ea, quae per eum affecta sunt, perfecta reipublicae tradantur? Amoenitas eum, credo, locorum, urbium pulcritudo retinet.* Lactant. I. 7. *Apollo quem*

*praeter ceteros divinum existimant, Colophone respondens, quod Delphis credo emigraverat, quaerenti cuidam, quis esset, respondit* etc. Vid. Leopard. Emendat. III. 6. et Graevius ad Cic. ad Attic. VII. 7.

59. *Tuum nomen dic.* Egregie annotat Donatus: *potentiorum blandimentum circa inferiores hoc fuit, ut nomina eorum quaererent et cum audiissent, ipsis nominibus eos appellarent.*

63. *Quod* ponitur pro *propter quod.* Vid. Perizon. ad Sanct. Min. III. 3. p. 327.

64. *Oculi dolere* illis dicuntur, qui rem molestam et odiosam cernunt. Plaut. Most. IV. 2. 9. *Vah! oculi dolent? S. cur? P. quia fumus molestus.* Vid. P. Victorii V. L. II. 5.

---

P. 7. v. 7. leg. praecipiunt. P. 18. v. 16. Ernestus. P. 24. v. 23. Var. Lect. XIV. P. 27. v. 6. ICt. p. 368. P. 128. v. 13. del. punctum post *interrogatione*. P. 137. v. 25. leg. Propert. IV. 9. 50. P. 245. v. 19. *Meditata*.

---

BONNAE
EX OFFICINA BÜSCHLERIANA
APUD ANTONIUM HACKERUM.